



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio II. De opere primæ diei, nimirum cœlo, terra, luce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](#)

lam esse posse contouersiam. Constat enim primum diem creationis (quo nimurum cælum & terra, adeoque ut dicitur quæst. seq. tota mundi substantia fuit creata) fuisse dominicum; cum dies ab eo septimus fuerit dies sabbati, ut patet ex Genes. 2. v. 2. Idque profitetur Ecclesia in illo Hymano; primi dierum omnium, quo mundus ex statu conditus.

Sed quoniam anni tempore seu mense mundus fuerit conditus, non omnino certum est. Gerardus Mercator in sua Chronolog. putat, mundum fuisse conditum in æstate, mense Iunio. Sed est noua & improbabilis sententia; nullo que fundamento solidi nititur. Nimurum quia Genes. 8. legitur, mense undecimo columbam fuisse reuersam ad arcum; curram oliuæ viridentibus folijs: quasi tunc primum germinauerit oliuæ arbor; quod iuxta Plinius libro 16. c. 15 fieri solet mense Maio. Sed nec probatur, mensem illum dictum fuisse undecimum, potius à creatione mundi, quam ab initio diluvij: catab. Anno sexentesimo ætatis Noe; nec viridentia folia oliuæ soli Maio, sed toti anni temporis conuenient.

Secundò igitur Abulensis & Lyratus in cap. I. Genes. putant, mundum conditum initio autumni, adeoque mense Septembri. Sed nituntur itidem incertis conjecturis, & consequentijs. Ut, quia ante legem pef Moyen promulgata, Hebrei numerarunt initium Anni à Septembri, iuxta Hieronymum in cap. I. Ezech. quod tamen ob aliam causam facile fieri potuit, ut mox dicetur. Item, quod Exod. 23. eiusdem mensis tempus vocatur *Exitus Anni*, quod tamen potius ob fructus eo tem-

pore perfectè collectos & reconditos, dictum erat, ut colligitur ex eodem loco, & Exodi 34. Denique quod tunc fructus arborum fuerint maturi, Genes. 1. & 3. cum tamen in omni sententia, hac fin re peculiare quid divinæ virtutē interuenierit; eo quod nunquam naturaliter omnes plantæ & arbores, in eodem terræ climate, simul fructus ferre soleant; quod tamen tunc accidisse ex Genes. 1. versu 11. & capite 2. versu 9. colligitur.

Terterius igitur, & ceteris anterētida est communis sententia Patrum, mundum fuisse productum in vere (iuxta Clima terræ Palestinae) circa æquinoctium vernum, & secundum hodiernam computationem, mense Martio, ut pluribus Perierius Genes. 1. versu 11. & Valentia quæstione 3. punct. 3. Molina disp. 14. Tum quia tunc etiam terra naturaliter germinare solet... Tum quia vix naturalius principium anni constitui potest, quam æquinoctium vernum, saltem in nostro hemisphærio, ob eandem causam. Tum quia eo tempore etiam alia præcipua Dei opera sunt peracta, ut liberatio populi ex Ægypto, Incarnatio, Mors & Resurrecō Chriſti, &c. Denique valde verisimile est, SS. Patres id per traditionem accepisse; quod ita speciatim tradunt Athanasius q. 17. ad Antioch. Gregorius Nazianzenus orat. de noua dom. Cyrilus Hierosolymitanus catech. 114. Theodoreus quæst. 72. in Exod. Ambrosius lib. I. Hexaem. capite 4. Leo serm. 9. de pass. Dom. Isidorus libro 5. Etymol. capite 8. Beda libro de rat. temp. capite 40. & confitit Virgilius libro 2. Georg post. med.

Q V A E S T I O II.

De opere primæ diei, nimurum cælo, terra, luce.

S. Thomas I. p. q. 66. & 67.

Bsolutetur hec quæstio sex dubitationibus. I. An cælum & terra primo die; an potius ante primum diem sint creata. II. Quid cælum & terra nomine significetur; an non solum cælum Empyreum; sed etiam omne corpus celeste, omniaque elementa; adeoque totus mundus corporeus quoad essentiam. III. Qualis lux; & quo spatio primi diei sit produta; an post tenebras; & quis finis & usus eius lucis. IV. Ex qua materia cælum constet. V. An cælum sit animatum. VI. An sit natura sua corpus generabile & corruptibile.

D V B I V M I.

An cælum & terra primo die; an potius ante primum diem sint creata.

S. Thom. I. p. q. 66. 22. 4.

I. **E**narrationem Creationis Mundi Moyses Genesis primo, versu primo, his verbis orditum. In principio creauit Deus cælum & terram. Vbi volucram, In principio, interalia significata, propriè significare, in principio temporis, quæstione præcedenti dubio quarto, dictum est. Creationem autem propriè accipi, diximus ibidem dubio primo,

Cæli verò nomen et si latè quandoque omne corpus sublimè diaphanum, terræ & aquæ superius significet; ipsumque adeò etiam aërem comprehendat, iuxta Scripturam, quæ & cataractas cæli, Genes. capite 7. versu undecimo, & sepe alias volucres, seu volatilia cæli nominat, Genes. I. versu 30. Genes. 9. versu secundo, Psalmo 8. versu 9. Ieremie 7. versu 33.

Matth.

Matth. 6. vers. 26. & cap. 8. vers. 10. &c. in disputacione tamen de celo à Theologis & Philosophis sumitur pressius, pro corpore non sublunari, sed elementis omnibus superiori, quod à concavo lunæ sursum magnis spatijs protenditur; quodque sive a celando, quasi stellis cœlatum, sive à celando dicitur, quod rotam naturam inferiorem integraliter ambiat, & in se ac sua continentia claudat, ut post Ambrosium in Hexameron notarunt Beda exposit, in Genes. & Sanctus Thomas, seu quisquis est author postillæ in Genesin.

2 Quibus positis, dubium est, quandoniam cœlum, quod in principio dicitur creatum, fuerit productum; an primum die creationis secundo, quando productum est firmamentum; an vero aliquo instanti, ipsius primi diei, quo creata ibidem lux dicitur; an potius in aliquo instanti antecedente; ita ut tempus aliquod saltem breve, inter instans creationis cœli & terre, & ipsum initium primi diei intercesserit; cœlumque adeo & terra, non in aliquo sexierum creationis, sed tempore antecedente fuerint producta.

3 Et non desunt graues quidam authores, qui assertunt. Moysen per illa verba, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, non significasse certum aliquod opus, ante cetera opera productum, sed summundat taxat eorum omnium, qua postea sex dictum spatio à Deo facta speciatim narratur, retulisse. Ita Cyrilus Alexandrinus contra Julianum lib. 2. Burgensis Add. i. in Genes. Steuchus in Cosmopœia. Eadem interpretationem inter alias habent etiam Augustinus lib. 12. Confess. cap. 17. & S. Thomas i. p. q. 68. a. 3. ex S. Chrysostomo. Ex qua doctrina necessario sequitur, cœlum non fuisse opus primæ diei, sed secundæ, quando factum est firmamentum, cui simul etiam cœli nomen imponit.

4 Secundò docent alii, cœlum & terram, fuisse creata tempore diem primum antecedente; ita ut, inter coruicidem creationem, & primi diei initium, aliquod saltem breve tempus intercesserit. Ita prater Augustinum libro 12. Confess. capite octauo, aperte sentiunt Alensis p. 2. quæst. 44. memb. 4. S. Thomas in 2. dist. 12. Aureolus in 2. d. 14. q. 2. art. 2. Tostatus in Genes. Carthusianus ibidem. Peretius ibid. n. 4. Gregorius de Valentia tom. 1. disp. 5. quæst. 3. punct. 1. Ascarius Martinengus Glossit ad c. 1. Genes. circa verba illa, *In principio*; qui pro eadem sententia adducit omnes SS. Patres & Scriptores, qui tenebant ante lucem constitisse, cum Mose existimat, ut & eos, qui primo compactum chaos volunt. Et post sex dies perfectum & venustatum; speciatim Clementem Romanum, Ireneum, Tertullianum, Gregorium Nazianenum, Nyssenum, Basilium, Ambrosium, Chrysostomum, Theodoretum, Damascenum, Gentianum, Acatium, Diodorum, Strabum, Hugonem, Bedam, Aleuinum, Rabanum, Isidorum, Magistrum, Sanctum Thomam, Bonaventuram, omnesque, ut inquit, iuniores: imò pagina 81. ait, *omnium Gracorum ac etiam Latinorum Patrum esse sententiam, quod à primo momento, quo Deus ex nihilo cœlum & terram condidit, ad prima diei initium, quo lux emanavit, & dies prima exordium dedit, tempus decurrerit.*

Argumenta huius sententiae sunt ista. Primum

sumitur à communisensu Patrum & Doctorum, ut paulò antea dictum.

Secundum: quia dies prima non coepit ante lucem creatam; cum ipsa lux in primo instanti primi diei creata, ut nonnulli Patres dicunt, initium dederit primo diei; nec verò sine luce dies esse possit; iuxta illud Genes. 1. versu 5. *Appellanique lucem diem:* & tamen ante lucem creatam constat, tenebras fuisse super faciem abyssi, celo viisque & terra iam creata, Genes. 1. v. 2.

Tertium. Quia alias prima dies non constaret praecise viginti quatuor horis, & qualiter in lucis & tenebrarum tempus diuisis, sed pluribus. Nam ut colligatur ex illis verbis Gen. 1. v. 5. *Eachumque est vesper & mane dies unus, dies primus, ut & ceteri deinceps subsequentes, prius habuerunt vesperum, quam mane, & in ipso mane fuerunt completi: hoc autem fieri non potuit, nisi dies cœperit ab oriente luce, quæ paulatim, horis viisque duodecim, ad horizontem accedet, vesperum; & deinde totidem horis alterum terræ hemispherium obiens, mane constituerit.*

Quartum. Ante lucem, eiusque motum, non fuit tempus: ergo nec dies. Antecedens probatur; quia non fuit motus, cuius sive mensura, sive duratio est tempus.

Tertia sententia est, cœlum unum cum terra fuisse creatum, ipso primo die, seu in instanti inchoante, primum diem creationis. Idem sentit aperte Ambrosius lib. 2. Hex. c. 1. vbi ait: *Diem primum, vel potius unum, ut potius, absoluimus; in quo condidimus cœlum, terram creatam, aquarum exundantiam, circumfusum aerem; discretionem factam lucis aquæ tenebrarum, Dei omnipotentis, & Domini nostri Iesu Christi, spiritu quoque sancti operatione cognovimus.*

Et Damaseenus libro 2. fid Orth. capite decimo. *Terra, inquit;* quatuor elementorum unum est, sicut & frigidum, gravissimum & immobile à DEO ex nihilo ad esse primum die deductum. In principio enim, inquit, fecit Deus cœlum & terram, cuius sedem & basin nullus homo dicere valuit.

Item Procopius in Genes. *Primus dies, inquit, dignitas reliquæ sequentes longe anteit. Nam in illo, que nunquam fuerant, sicut creationem sumpserit diuinus. Ceteri diebus nihil efficit, cuius seminaria non in primo die sparsisset.*

Item Alcuinus lib. 1. Diuin. Offic. tit. de die sancto sive Dominico: *Apparet autem, inquit, hunc diem etiam in sacris Scripturis esse sollem. Ipse enim dies primus seculi, in quo formata sunt elementa mundi, in ipso creata sunt Angeli, &c.*

Identicentur Beda libro de sex dierum creatione, Petrus Comestor Histor. Eccles. capite 3. & Caetanus in Genes. 1. vbi ait: *Illud metu instantis, quod fuit principium temporis, mensurans creationem cœli & terræ, fuit instantis initialem diei prima artificialis. Item Molina i. p. de opere sex dierum disp. 7. S. Hic autem, pro absurdio habet. Deum ante primum, atque adeo ante omnem diem, creasse cœlum & terram.*

Vtramque sententiam posterioriem, velut probabilem referunt Tostatus in Genes. Bonaventura in 2. d. 12. a. 2. q. 2. Egidius i. p. Hexa. c. 22. Dionysius Carthusianus in Gen. c. 10.

Differunt tamen hi authores inter se. Nam aliqui dicunt, simul ac in eodem instanti temporis, quod

quod fuit initium primi diei, creatum fuisse non solum cœlum & terram, sed etiam ipsam lucem. Ita præter Augustinum, Beda, Cœlestor, Caietanus: Item Bonaventura & Tostatus pro vna sententia. Alii vero docent, eodena quidem die primo, sed non eodem instanti creatam fuisse lucem.

Affirmatio I. Illis verbis Moysis, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, designatur certum & peculiare opus diuinum, ante cetera creationis opera factum; ita ut cœlum illud, vna cum terra, creatum sit a Deo, ante opus secundæ diei, ipsumq; diem secundum. Ita communis, & iure dixerim certa sententia omnium cœterorum scriptorum, quos post primam sententiam retulimus. Et colligitur aperte ex contextu Moysis, qui cum dixisset Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, mox subiungit v. 2. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebrae erant super faciem abyssi; & spiritus Dei ferebatur super aquas. Vnde manifeste sequitur, terram, de qua prius mentionem fecerat, iam tunc productam fuisse antequā nimirum lux produceretur, ceteraque fierent, quæ postea a Deo facta Moyses narravit: Alioquin terram dixisset Moyses vacuam, antequam esset producta; nec explicari etiam posset, quænam fuerit illa facies abyssi, aut quænam aquæ, super quas spiritus Dei ferebatur, si non ante lucem, cœlum & terra fuissent a Deo creata.

Quarum rem acute etiam pluribus expendit Tertullianus lib. 6. cont. Hermogenem cap. 26. *Nobis autem, inquit, unus Deus, & una est terra, quam in principio fecit Deus.* Cuius ordinem incipiens scriptura decurrere, primo factam eam edidit; deinceps qualitatem ipsius edidit: scut & cœlum primo factum professa; *In principio fecit Deus cœlum*: deinceps dispositionem eius superinducit; *Et separauit inter aquam, qua erat infra firmamentum, & qua super firmamentum;* & vocavit Deus firmamentum cœlum, ipsam quod in primordio fecerat. Proinde & de homine, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum;* deinceps qualiter fecerit, reddit; *Et fixxit Deus hominem de limo terra;* & flavit infaciem eius statim vite, & factus est homo in animam vivam. Et quique sic decet narrationem inire; primo prefari, postea prosequi, nominare, deinde describere. Alioquin vanum, siens rei, cuius nullam præmisserat rationem, id est, materie, nec ipsum quidem nomen, subiro formam & habitum promulgauit; ante enarrat, qualis esset; ostendit figuram deformatis, nomen abscondit. At quanto credibilius, secundum nos, eius rei dispositionem subinxit, cuius institutionem, similique nominationem præmisit. Quam denique integer sensus est, *In principio fecit Deus cœlum & terram;* terra autem erat inuisibilis & ruda, quam Deus scilicet fecit, de qua scriptura cum maxime edixerat. Nam & Autem ipsum, velut fibula coniunctiæ particule, ad connexum orationis appositum est. Terra autem. Hoc enim verbore revertitur ad eam, de qua supra dixerat, & aliquid sensum. Adeo auctor hinc, Autem; & soluta compago est, ut tunc possit de aliata terra dictum videri. Terra erat inuisibilis & ruda. Hancenus neruofe Tertullianus. Vbi simul etiam docet, firmamentum esse ipsum cœlum, quod Deus in principio fecerat, ut dicetur dub, sequent affert. in fine sequentis questionis verbatim allegatus. Accedit, quod Chrysostomus & Cyrillus, pro contraria sententia adducti, intelligi forte possunt de-

summa, non sequentis narrationis, sed operis, sive de illo imperfecto chao, seu primordiali seminario rerum omnium deinceps faciendarum.

Affirmatio II. Multo probabilius videtur, cœlum & terram eodem primo die, quo lux facta est, adeoque ipso initio, seu primo instanti primi diei fuisse creatæ. Ita sentio cum Authoribus tertiae sententie. Probatur primo ex Scriptura, quæ id satis aperte indicat. Exodi 11. vers. 20, dicitur: *sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Et Exodi 31. vers. 17. *sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in septime ab opere cessauit.* Similia habentur alibi. Si ergo cœlum & terra sex dierum aliquo facta sunt, certe non ante primum diem, sed ipso primo die creationis facta sunt. Adducunt etiam Caietanus & Molina illa verba Genes. 2. vers. 4. *Ista sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus cœlum & terram.* Sed quia mox ibidem additur, *Et omne vegetatum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis.* &c. satis constat, diem illuc sumi late, protempore, ut questione praeced. dub. vlt. dictum.

Secundo idem probatur auctoritate ac testimoniis SS. Patrum; non solum iis, quæ citavimus, sed etiam pluribus aliis, dum mundi opificium vocant Hexameron, sive sex dierum; ut speciatim videat est apud Basilium, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, & alios. Quibus accedit auctoritas Ecclesiæ, in officio dei dominicae antemutinum canentis: *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus.* Atque in eundem sensum optime etiam intelligitur illud Concilii Lateranensis cap. Firmiter de summa Trinitate & fid. Cathol. *DEVM simul in principio temporis* (adeoque primi diei) *veramque de nihilo condidisse creationem, spiritualem & corporalem, Angelicam & muniamam.* &c.

Tertio probatur ratione. Tum quia alias Moyses in sua narratione Genesis, non satis determinasset certum initium creationis mundi. Si enim cœlum & terra creata fuerunt ante primum diem, sicut cum Moyses interim ne verbo quidem insinuerit, quanta duratio primum diem antecesserit, existimari posset, quantum est ex ea Moyses narratione, cœlum vna cum terra, creatum fuisse, non solum aliquot centuriis seculorum ante primum diem, sed etiam ab æternis; saltem ex eorum sententiæ, qui existimantur, non implicare contradictionem talem mundi creationem ab æternis: verbis interim illis, *In principio, ut multi interpretantur, significantibus solum, Ante omnia, sive Primum omnium.* Est autem incredibile, Moyses perfectionem & ornatum cœli & terram diligenter ac definite, per sex dies, distinxisse; ipsam vero primam, ac substantialem productionem cœli & terræ nullo certo tempore definiisse. Tum quia contextus ipse Moyses Genes. 1. vers. 1. 2. 3. 4. 5. satis indicat, ea quæ ibidem facta narrantur a Deo, ad unum & eundem diem spectare. Praesertim cum deinceps etiam sequentibus aliquot diebus plures, uno die a Deo facta esse referantur.

Ad primum argumentum, pro contraria sententia secunda obiectum, Respondeatur, Opposi-

tam sententiam neutquam esse communem, multò minùs omnium sanctorum Patrum & recentiorum, videlicet Martinengus; quæ potius est paucorum. Li-
cet enim plerique omnes (Augustino, & paucis quibusdam exceptis) docuerint, ante creationem lucis, cælo terraque iam creatis, præcessisse tenebras super faciem abyssi, id quod nos etiam conclusione sequenti docebimus; minùm tamen sequitur, cælum & terram fuisse creata ante primum diem, cum hic ipse dies primus à tenebris, non à luce co-
perit, vt dicetur ad tertium. Multò minùs repugnant illi, qui docent, chaos, sive ipsum cælum ac terram, rudemne mundi substantiam fuisse primò creata, & post sex dies perfectam & absolutam: quia hoc verum est, etiam si, ipso primo instanti pri-
mæ diei fuerit creatum cælum & terra; instans enim illud, quod antecessit sex dies, nihil admittit duratione sex dierum, ad quos se habet, sicut ad linea-
m punctum, sine quo manet quantitas, & exten-
sio tota linea.

¹⁴ Ad secundum & tertium respondeatur, diem primum (naturalem intelligit Moses,) fuisse vi-
ginti quatuor horarum, nec tamen cœpisse à luce, vt quidam dicunt, sed à tenebris, qua operiebant fa-
ciam abyssi: sicut & sequentium dierum initium sumitur, non à mane, seu oriente luce in terra creationis sive Palæstina; sed à vespere, vt Scriptura loquitur, seu ab initio noctis, vt post Magistrum in 2. dist. 13. lit. D. declarat, & probat Molina disputatione septima, de opere sex dierum, super illa verba, factum est vespere & mane dies unus. Secundus, inquit, sensus, qui mihi omnino placet, & quem in-
ter alios probat hoc loco Abulensis, est, quod pro-
ducerit Deus lucem primi duci, post duodecim ho-
ras à creatione mundi, & produxit eam in punto Arietis, comparatione Palæstina; ita vt punto
creationis illius, incepit esse mane in Palæstina; ac si tunc oriretur Sol: eaque ratione primus dies naturalis in Palæstina fuerit viginti quatuor horarum, duodecim tenebrarum seu noctis, à punto creationis mundi, usque ad productionem lucis; &
aliarum duodecim duci artificialis, à punto crea-
tionis illius, usque ad occasum ciuidem lucis, com-
paratione Palæstina. Iuxta hunc ergo sensum,
nomine vespere, in prima die, intellexit Moses tempus illad tenebrarum seu noctis, eo quod nox à
vespere seu occasu Solis soleat incipere (licet nox illa non ita incepit) & terminetur mane, seu ortu solis: nomine vero Mane intellexit diem artificialem, ab ortu directorum radiorum lucis, usque ad occasum; propterea quod dies artificialis incipiat à mane ortuue Solis, & terminetur vespere, seu occasu Solis.

¹⁵ Iuxta huic secundum sensum, quæ germa-
nunt esse Scripturæ arbitramur, verum est, Deum prima die creasse cælum & terram, vt Scriptura aperte sonat. Creavit namque cælum & ter-
ram & aquas, in instanti initiativo duodecim horarum noctis seu tenebrarum, qua lucem antecesserunt, fueruntque prima pars primi diei naturalis. Ex eodem sensu est manifestum, cur in enumerando primo die, & carceris diebus sequentibus, exordium sumperit Moses à vespere, dicens, factum est vespere & mane dies unus,

secundus, tertius, &c. quia si tempus noctis seu tenebrarum antecessit tempus lucis, fuitque prior pars primi diei, supputationera dierum merito inchoauit à vespere seu nocte. Confinit cum his omnibus mos Hebreorum, quo ab occasu Solis suppabant dies.

Et confirmatur hæc doctrina. Quia vespere & mane, per sé sola, non constituyunt integrum diem naturalem, de quo sine dubio loquitur Moses, sed solam noctem, cum adiunctis terminis eam vtrinque concludentibus. Ergo necessariò subintelligendus est dies artificialis, quæ rectius per mane, quam per vespere, sicut etiam nox rectius per vespere, quam per mane signifi-
catur. Quod autem Scriptura dicit lucem vocatam fuisse diem, quasi producta primùm luce, dies cœperit, intelligendum est de die artificiali, non naturali, de quo loquitur Moses, cum ait, Fa-
ctum est vespere & mane dies unus.

Atque hæc de creatione lucis, suo motu di-
em noctemque distinguens, sententia, multò videtur probabilior, ac Scriptura conformior, quæ illa Junilij seu Beda, assertoris, primo die creatam, fuisse lucem, generaliter omnia replen-
tem, ac capite carentem, nullaque distinguenter horas. Ita enim loquitur apud Lipomanum in catena Genesis capite sexto. Quia nimur pri-
usquam sidera fierent, non erat, quibus ordo tem-
porum annotaretur indicis; unde meridiata hora diagnogetur, antequam Sol medium consenderet igne-
m orbem; non unde ceteræ diei noctisque signarentur hora; donec astra polum equali inter se forte nocte dieque diuidenter; sunt ergo luminaria in si-
gna temporum; non quod à conditione eorum tempo-
ra cœperint, qua constat cœpisse à principio, quo fe-
cit DEUS cælum & terram; sed quia per oris eorum sive transitus, temporum ordo dicunque anno-
rumque signatur. Nam totum illud triduum sepe-
rius in discreto cursu sui processu transferat; nulam penitus dimensionem habens horarum; ut ipse quia
lumine primario adhuc generaliter omnia replete,
nullumque caput habente, quod nunc de sole acci-
pit, nusquam radij ardenter illuxerant; & nulla sub caute vel arbore, aquis removit umbra fri-
gebat. Ira qui sub Junilij nomine citari solet Be-
da; ex cuius sententia explicari vix potest, quale-
nam fuerit mane illud & vespere, primi, secundi, & tertii diei; qualis item fuerit dies & nox post lucem iam productam. Genesis capite primo versu quinto.

Ad quartum responderetur, tempus fuisse ante lucem, motumque lucis, non quod cælum statim ac creatum esset, moueri cœperit, vt quidam dixerunt; sed quia tempus est duratio sive mensura, non solum motus, sed etiam quietis opposita, Contrario-
rum enim eadem est ratio, vt rectè etiam Molina loco citato, & superius quæstione prima dubio quarto.

Assertio III. Cælum unum cum terra, non
fuit creatum eodem instanti, quo creata lux
fuit, sed tempore antecedente; ita vt per ali-
quod tempus, à prima creatione, cælum & terra lu-
ce carerent, tenebris vndiq; cooperata. Ita communis
senten-

sententia Sanctorum Patrum, & Doctorum ferè omnium, speciatim Clementis lib. 1. Recog. Basiliij Hex. hom. 3. Ambrosij lib. 1. c. 1. Chrysoftomi in Genes. Hom. 3. Hieronymi epist. 83. ad Ocean. Tertulliani in carmine Genes. Marij Victorinilib. 1. in Genes. Sancti Thoma in 2. dist. 12. Molina & Martinengi loco citato contra paucos superius citatos. Probatur aperte ex Scriptura Genes. 1. v. 2. vbi post creationem celi & terræ dicitur, *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebrae erant superficies abyssi.* Quod ad metaphoricas tenebras, Angeli scilicet mali casum, aut instans solum naturæ, quo nondum cogitetur terra fuisse illuminata, referri nullo modo potest. Sunt enim verba nimis clara, & verbum illud imperfectum *Eran* etiam duracionem aliquantam tenebrarum significat. Similis est locus 2. Corinthi versu sexto. *Dominus, qui dixit, de tenebris lucem plendescere:* qui ad literam planè de creatione primæ lucis intelligitur: nec facile etiam potest ad tenebras spirituales, vel ad solam negationem lumini, creationem celi antecedentem, referri. Licit vero contrariam sententiam erroris damnare non ausim, propter graues, qui eam sequuntur authores, superius citatos, non vere orationem falsam planè & improbabilem dicere, ut pote satis aperte Scriptura & communis Sanctorum Patrum doctrinæ repugnantem, nullo sanè firmo solidoque fundamento. Plura de hac die & luce apud Molinan disputatione 8.

D V B I V M - II.

Quid celi & terræ nomine significatur; an non solum calum Empyreum, sed etiam omne corpus celeste, omniaque elementa, adeoque totus mundus corporeus, quo ad suam substantiam.

S. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & 3.

Quod ad primum attinet, dubium est, an omnes celi, quoad substantiam simul, & quidem primo die creationis, ut dictum; an vero aliqui primum secundo die fuerint producti. De qua re varia rursum Doctorum sententia est. Siquidem sentiunt non pauci, primo die, seu ante primum diem, iuxta varietatem sententiarum dubio præcedente declaratam, creatum fuisse solummodo celum Empyreum; reliquos autem caelos inferiores omnes, etiam quoad substantiam, non propriè creatoris, sed ex præsupposita materia productos fuisse die secundo. Ita docent Strabon in Glossa, Hugo Victorinus in Sententijs tract. 2. cap. 1. Bonaventura in 2. dist. 12. Lyranus in Postilla, Tostatus in Genes. cap. 1. Catharinus ibidem: qui omnes disertè nomen cali Empyrei exprimit. Idem sentiunt Origenes in Genes. Homil. 1. Diodorus Tarsensis in Glossa ordinaria, Iunilius in Hexaemeron, Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum, Hilarius enarratione in Psalmum 135. Procopius in Gen. Anselmus 1. de

imagine mundi cap. 28. & ferè Philo de mundi opificio, licet nomen Empyrei celi non exprimant, sed duntaxat de supremo caelo, quod sedem esse beatorum significant, loquantur. Idem ex instituto propugnat Molina de opere sex dierum disp. 2. & 3. & Delrius in Genes. v. 1. favetque nonnihil Ascanius Martinengus in sua Glossa. Sed & Aureolus in 2. d. 14. q. 2. a. 2. concedit quidem, calum Empyreum, ut & primi mobile, siue cælum nonum & crystallinum, vñ cum quatuor elementis producta fuisse, in principio, primo die, seu ut ipse putat, ante primum diem; attramen firmamentum, seu cælum sydereum productum fuisse docet primum die secundo.

Fundamentum potillimum sumitur ex Scriptura Genes. 1. vers. 6. & 8. *Dixit queque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Et fecit Deus firmamentum, divisusque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est vestere & mane dies secundus. Cum igitur hoc loco expressè firmamentum appelletur cælum, idque secundo primum die, non creatum, sed factum dicatur, ut & cetera, quæ ex subiecta materia facta postmodum narrantur, per se colligi videtur, cælum non omne quidem, sed aliquod tam secundo primum die, etiam quoad substantiam, factum fuisse: quod vtique non de supremo ac præstantissimo caelo iam antea primo die creato, sed de toto systemate cœlesti inferiori, salté sydereō accipendum est. Quod si cælum eo die factum non est, vix appetet, quid secundo die à Deo factum fuerit. Nihilominus alij plures contrariū sentiunt, ut dicetur.

Similis controversia est de duobus elementis, nimirum aere & igne; an simul cum terra & aqua ex nihilo primo statim die fuerint creata.

Affertio I. Non solum Empyreum, sed etiam sydereum cælum, atque adeò corpus omne cælestē, quod substantiam, productum fuit primum die. Ita expressè docent Tertullianus lib. contra Hermog. cap. 26. relatus dub. præcedenti, affert. 1. item Basiliushomil. 1. & 2. Hexaem. Ambrosius lib. 1. c. 6. & lib. 2. cap. 4. Damascenuslib. 2. Fid. orth. c. 5. 6. & 10. Innocentius III. commentarij in 5. Psalmum penitentiale. S. Thomas in 2. d. 13. & 1. p. q. 68. ad primum, expositione ultima, & in Postilla Genes. (si tamen eius hoc opus) cap. 1. Dionysius Carthusianus in 2. d. 13. q. 1. Lyranus in Postilla expositione 1. Caïet in Genes. 1. Steuchus in Cosmopoeia, Vielnius lectio 3. in Genesia, Pererius in Genes. lib. 1. in illa verba *cælum & terram*, Gregorius de Valentia 1. p. d. 5. q. 2. punct. 1. Optimè & apertissimè ex antiquioribus Gregorius Nyssenus in Hexaem. Posteaquam igitur, inquit, quæ cernuntur aquæ, ab illis quæ intelliguntur, secreta sunt, mediumque inter duplum aquarum naturam confinium interiectum est cælum, quod simul cum terra, atque omnibus ijs, quæ ad mundi constitutionem collata sunt, in principio factum esse dicitur; nunc autem perfectum & nominatum, in demonstratione firmamenti ignis ambitu definiti ostenditur, &c. Nec refert, quod Basilius homil. 3. Hexaem. & Ambrosius libro 1. capite 6. firmamentum secundo die creatum, à caelo in principio creato, & ab utroque cælum tertium, in quod raptus est S. Paulus, distinguunt. Intelligent enim distinguiri non substantialiter adæquate: sed vel

accidentaliter tantum: vel substantialiter inadæquatè, velut partem à toto; nimirum quia secundo die firmamentum ex subtili materia cœli in principio creati consolidatione quadam & condensatio productum fuit. Interim cum cœlo & terra, omnia intermedia elementa fuisse in principio quoad substantiam creatam, aperè afferunt, ut dictum. Vnde etiam idem Basilius in alio opere Hexameron ab Eustacio latine redditio, ac recens edito lib. 2. ita scribit. *Pecit Deus cœlum & terram, non singula ex dividia parte, sed integrum cœlum, & integrum terram, id est, ipsam substantiam, cum specie comprehensam.*

4 Et Ambrosius libro 2. Hexaem. cap. 4. videtur mibi, inquit, nomen calorum commune esse; quia plurimos cœlos Scriptura testificatur; nomen autem esse speciale firmamentum. Siquidem & hic ita habetur. Et vocavit Deus firmamentum cœlum: ut videatur supra generaliter dixisse. In principio cœlum factum, ut omnem cœlestis creaturam fabricam comprehendet: hic autem speciale firmamentum huius exterioris soliditatem, &c.

5 Probatur autem conclusio nostra maximè ex Scriptura. Tum quia Moyses Genes. i. versu. indebet dixit, *In principio Deum feci cœlum;* seu vt in Hebraico texu significantius habetur *cœlos.* Indefinitè autem eiusmodi propositiones in dogmatis bus tradendis, vim habere solent affirmationis universalis, sicuti nulla specialis suscipit restringenda ratio. Tum quia in eodem loco paulo inferius Genes. i. versu. octauo, vbi de firmamento fit mentio, significatus vœcula *Cœli* disertè explicatur; neque tamen eo loco pro solo cœlo Empyreo accipitur; & valde durum esset, in tam paucis verbis, præterim vbi ipsa nominis significatio ex instituto explicatur, tam obscuram æquiuocationem fuisse commissam. Tum quia nusquam alias in Scriptura, vbi cœlum terræ coniungitur, saltem quando de eorum productione sermo est, cœli nomine solum cœlum. Empyreum significatur; sed vniuersim tota celestis substantia, vt videatur est Genesis 14. versu. 19. & 22. Exodi 20. versu. 11. Exodii 1. versu. 17. Deuteronomij 4. versu. 26. Deuteronomij 30. v. 39. Deuteronomij 31. v. 28. 1. Paralip. 21. versu. 16. 2. Paralip. 2. v. 12. 2. Eldæ 9. v. 6. Iudith 6. versu. 15. & cap. 7. v. 17. & cap. 13. v. 24. Esther 13. versu. 10. Psalmo 113. v. 5. &c.

6 In quo genere vel maxime insignis est locus Genesis 2. versu. 1. vbi Moyses quasi per anacephalo-sin repetens ea, quæ præcedenti capite narrauerat, ait, *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* Et versu quarto. *Ista sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt, in die que fecit Dominus cœlum & terram.* Vbi nemo vtique dixerit, nomine cœli solum cœlum Empyreum significari. Optime in hunc locum Chrysostomus homil. 10. in Genes. Considera, inquit, quā nūhil sit superfluum, nihilque non amabile in diuinis litteris. Postquam elementorum cuncta complectentium meminit, non ultra particulariter commemorat; sed ut dicit: *Perfecta sunt cœlum & terra,* inquit, *& omnis ornatus eorum.* Quo significat omnia & quæ in cœlo, & quæ in terra. *Ornatus enim terra,* sunt ea, quæ ab illa proferuntur, us herbarum germina, fructuum protensus, arborum fructus, aliaque omnia, quibus illam Deus ornavit: *ornatus autem cœli,* sol, luna, stellarum varietas, cre-

ature que omnes intermedie. Et idcirco sacra Scriptura, cœlum terraque commemorans, omne Dei opificium per hec elementa complexa est.

Sed in ipso etiam Symbolo Apostolorum profitemur Deum *Creatorem cœli & terre,* phras ex 1. Genes. versu 1. expressa; vtique non Empyrei tantum, sed vniuersim omnis cœli; cum ipsa quodammodo res exigat, ut quando profitemur in symbolo factam à Deo creationem cœli & terræ, ijs nominibus totius mundi substantia intelligatur.

Accedit, quod cœli Empyrei rufus populus Iudæorum, cui eam creationis historiam potissimum scriptis Moyses (vt recte Sanctus Thomas i. part. quæstione 68. articulo tertio.) vix ullam habuit notitiam. Imò idem Sanctus Thomas i. p. quest. 66. articulo tertio, ait: *Cœlum Empyreum non invenitur postum, nisi per autoritates Strabii & Bedæ, & iterum, per autoritatem Basilij, in cuius positione quantum ad aliquid conuenienter; scilicet quantum ad hoc, quod sit locus Beatorum.* Ita Sanctus Thomas tametsi Dionysius Carthusianus in 2. distinct. 2. quæstione tertia, non ab illis tantum, sed etiam à Damasceno, Gregorio, & Hieronymo cœlum illud fuisse agnitus velet; sed qui certe sub eo nomine cœli mentionem non faciunt: multo minus credibile est, hoc cœlum etiam à gentibus fuisse agnitus. Vide Pererium libro primo in Genesin. Quae causa in eam potius adducor sententiam, vt rectius vniuersim negari posse existimem, Moysen in sua descriptione operum diuinorum, ullam cœli Empyrei expressam & distinctam fecisse mentionem. (quod etiam non pauci de Angelis sentiunt, & in eundem sensum Sanctus Thomas i. p. quæstione 68. art. 3. ait, Moysen imbecillitati rufis populi condescendentem, illa solum eius proposuisse, qua manifeste sensu apparent.) quam solum cœlum Empyreum in principio à Deo creatum commemorasse.

Ratio etiam quædam congruentia pro eadem conclusione est; quia cum cœlum erat sydereum sit corpus simplex, & quidem longe præstantioris naturæ, quam terra & aqua, quæ in principio creatæ à Moysé referuntur, non conueniebat, illud post terram & aquam, aut ex aqua produci.

Ad contrarium fundamentum facile responderetur, quando Genes. i. v. 6 & 8. dicitur *Firmatum cœli nomine appellatum;* idque secundo die factum fuisse, id non ita intelligendum, quasi cœlum illud etiam quoad substantiam & essentiam suam, secundo primum die factum fuerit, sed solum, quod tunc primum addita duritate & firmitate, firmamenti nomen & robur accepit, vt quæ 3. dub. i. & 2. magis declarabitur; sicut Deus dicitur producere vices desherauri sui, itemq. Philosophia iunt, nūc grandineti, pruinam, gelu, seu glaciem produci; cum tamen eorundem materia & forma substantialis iam antea præexistat; nec ferè nisi durities & soliditas præexistenti materia addatur.

Neque vero ex eo, quod cœlum vna cum terra ab initio productum dicitur, consequens est, per cœlum secundo postea die productum, (cui & firmamenti nomen impositum) aliud cœlum substantia liter dixerum intelligendum esse; quasi vero res una & eadem non possit bis produci; nec semel producta ac certo nomine significata, denud eodem nomine

nomine insigniri. Nam præterquam quod eadem res, quoad substantiam semel producta, recte potest iterum sub aliâ ratione mixti imperfecti, seu entis per accidens, denuò produci, vt anteâ dictum: insuper etiam terra in principio producta dicitur v. 1. & tamen nihilominus postea v. 10. rursum dicitur, tunc, cum aquæ in unum collectæ fuissent, tertio vi delicto creationis die, ipsam aridam terræ nomine, fuisse vocatam: *Et vocavit Deus aridam terram.* Quoniam nomine utique substantialiter eadem terra significatur, quæ initio producta, sed aquis nudata, nihilominus terræ nomine insignita refertur. Idem ergo etiam seruat proportione cogitandum de cælo, vel pluribus dicetur quæst. 3. dub. 1.

Affirmatio II. Non solum cælum omne quoad substantiam, simul cum terra, sed etiam Elementa omnia, quæ cælo terraque clauduntur, et si rudia adhuc, & nullo ornato decorata, simul, & ab initio, ante ceterarum rerum productionem, à Deo ex nihilo fuerunt creata; ac postea sex diem spatio singulatum & ordine elaborata: ita nimurum, vt iuxta descriptionem Genesis, primo insuper die lux; secundo soliditas ac firmitas cælesti substantiæ; tertio siccitas, virorque ac fæcunditas terra; quarto sydera ac stellæ cælis, quinto omnis generis animantia, aquis ac aëri, velut ornatus nouaque perfectio accelerint; sexto demum die ceteræ terra animalia, ac homo ipse in terris, vniuersaque hæc ex elementis iam antea creatis condita fuerint.

Hæc conclusio confirmat præcedentem, ac præterquam quod optimis authoribus probata est, vel dicetur, probatur primò ex ipsa Scriptura sacra Genes. 2. v. 1. vbi dicitur, *Igitur perfecisti sim cæli & terram, & omnis ornatus eorum.* Quo loco nomine cæli & terra utique intelligitur idipsum cælum & terra, quæ Genes. 1. v. 1. in principio, & ante res alias creatas dicuntur: cetera vero omnia, quæ post cælum & terram iam antea producta, successuè per sex dies facta narrantur, intelliguntur nomine *ornatus*, seu accidentalis cuiusdam perfectionis eiusdem cæli & terra; ergo non est existimandum, cælos quoad substantiam, aut elementa, secundo, aut posterioribus primù diebus fuisse producta; sed tam cælum, quam terra, vñà cum ceteris elementis quoad substantiam, in principio & ante omnia alia creatæ; postea solum perfectione quadam accidentalis, & ornata exulta & decorata fuerunt. Nec verò id de aquis negari potest, cum mox post creatum cælum & terram Genes. 1. versu 2. dicatur: *spiritus autem D E I serebatur super aquas.*

Secundo probatur assertio authoritate Scriptorum, qui eam docuerunt. Siquidem elementa omnia, primo die, vñà cum cælo & terra fuisse producta, docent ex Patribus præcedente conclusione citatis, Basilius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Beda in Hexaem. item Innocentius, Lipomanus, Caetanus, Steuchus, Gregorius de Valentia, Perierius, & quos præcedenti quæstione pro tertia sententia citauimus, Ambrosius libro 2. Hex. c. 1. Procopius, Alcuinus, ipsiusque Ecclesiæ publicus hymnus, Primo diem omnium, quo mundus exiit conditus, vt ibidem pro secunda conclusione diximus. Idem tradit Sanctus Thomas 1. p. q. 68. art. 3. & sequuntur ferè alij Scholastici. Speciatim

Suarez 3. p. tom. 2. disputatione 58. scđt. 2. vbi ait: *Cum dicatur in principio fecisse Deus calum & terram: hoc de calo solo Empyreo expondere, & astheros calos ac stellas, ex aqua tanquam ex materia putare procreata, nec philosophicus principis consentaneum est, nec in Theologia habet aliquod fundamentum.*

Id verò ab ijsdem Patribus ita explicatur; siue quod sub duobus extremis corporibus, cælo terraque, etiam intermedia omnia elementa comprehendantur: siue quod nomine cæli etiam ignis & aëri, vñi & nomine terra, eidem insidens aquæ elementum, velut contentum nomine continentis significetur; siue quod terra nomine, quæ omnia solet elementa continere, etiam reliqua intelligentur: siue etiam quod aquarum nomine eo loco Genesis capite primo versu secundo, recte intelligi generatim potest omne corpus diaphanum, præsertim liquidum; non solum quia omne eiusmodi corpus, Spiritus Dei eidem quasi fouendo incumbens, ad noua quedam opera deinceps efficienda destinauerat; sed etiam quia ratio ipsa quedam modo cogit, per aquas ibidem aliquid intellexisse Moysem, quod iam ante factum narrauerat. Cum ergo Moyse nomine celi & terra subintellexerit, etiam simul productam fuisse aquam, licet hoc non expresserit, cur non pari ure & ratione, ijsdem etiam nomibus à Moysi subintellexit fuisse dicamus, cetera elementa, licet ea Moyses itidem non expresserit, fortè quia vt Sanctus Thomas loco citato ait, rudi populo ea solum voluit exprimere, que manifeste sensu apparent, aerem vero, inquit ibidem ad 3. *& similia corpora, propter inuisibilitatem, sub aqua nomine comprehendantur.*

De hac re optime inter alios Augustinus libro de Genes. ad litteram capite quarto. Nec vñlo modo arbitrandum est, præmissum esse in hac scriptura vñlum mundi huius elementum, cum quatuor notissimis constare cumpersuasum sit, quia videtur hic cælum, & aquam, & terram commemorare, de aere autem tacere. Consuetudo quippe nostrarum scripturarum est, aut cæli & terre nomine mundum appellare, aut interdum addere & mare. Aer itaque etiam ad calum perire intelligitur, si qua sunt in eius partibus tranquillissima & pacatissima spacia; vel ad terram, propter hunc turbulentum & caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguiscit, quamvis & ipse sepius cæli nomine nuncupetur.

Praclare etiam Sanctus Basilus homil. 1. Hex. in hæc ipsa verba, *In principio creauit D E I cælum & terram: Ex duobus, inquit, principiis uniuersi sanè totius innuit essentiam; cælo quidem prerogatiuam in generatione dignitatis, terra autem ad rerum essentiam secundas ascribens.* Quicquid autem istorum medium est, id vñà cum ipsis omnino finibus (seu extremitis) exortum est. Itaque etiam nihil de ceteris dixerit elementis, igne, inquam, atque aere, tuopote tamen solerti ingenio capere velis. Primum quidem quoniama in omnibus omnia sunt permixta: atque adeo in terra aquam, aeren & ignem inuenies: siquidem tam è silice, quam è ferro, quæ suam originem è terra trahunt, ignis exilit, ac frictionibus copiosus emergens eluet, &c. Deinde quoniama cælum natura locum superum occupat, terra vero infimum, &c. is & ea comprehensim notauit, quæ medium inter

illa regionem occupant atque implent. Quare singulorum enarrationem querere noli; sed ea qua silentio præterita sunt, per iam declarata intelligere velis.

17 Idem sentit Tertullianus libro sexto contra Hermogenem capite vigesimo sexto, relatus dubio præcedenti, assertione prima, vbi docet, ea quæ Deus opera post primum diem perficit, ad quandam solum dispositionem cœli ac terræ pertinere.

Denique ex Scholasticis, Henricus quodlib. 6. quæstione ultima ait: *Ne errandi occasionem accipere posset humana temeritas, si scriptura narraret primo factum cœlum, deinde elementa, pronuntiat ea simul creata, cum ait: In principio creauit DEVS cœlum & terram; nomine terra naturam omnium quatuor elementorum designans. Ratio conuenientiae est. Quia conuenientissimum erat, ut ante ornatum & perfectionem, reliquis deinceps diebus cœlo terræque adiiciendam, omnia prius elementa & corpora simplicia, quæ sūa natura ex se in initio non fiunt, sed ex quibus alia, à Deo per creationem ex nihilo producerentur.* Quam rationem etiam adserit Dionysius Carthusianus citat. 2. dist. 13. quæstione prima, vbi docet, opus distinctionis non superaddere operi creationis aliquod esse substantiale, nec formas substantiales: *Quia, inquit, per opus creationis principia mundi sensibilis distincta sunt, quantum ad esse primum, quod est per formas substantiales.*

18 Ex quibus etiam refellitur ea quorundam opinatio, qui terræ nomine significari putarunt ipsam materiam primam plane informem; quæ tempore cæterarum rerum corporearum productionem antecelerit: quam refellit etiam Sanctus Thomas citata quæstione sexagesima sexta, articulo primo, vbi Patres id ipsum indicantes benè explicat, de informitate, hoc est, carentiā illius decoris, qui mundo & elementis postea primum accessit.

19 Denique ex dictis colligitur, corpora à Deo ex nihilo creata, non solum esse cœlum Empyreum, terram, & aquam, vt existimauit Molina tract. de operibus sex dierum cit. disp. 2. sed etiam ignem & aërem, adeoque omnia elementa mundi: item quatuor coœnia prima non tantum esse Angelos, cœlum Empyreum, materiam informem, & tempus (de quibus peculiarem tractatum scripsit Albertus Magnus); sed etiam totam substantiam cœlestem, omniaque elementa, quæ tamen sub nomine materiæ informis rectè intelligi possunt, iuxta S. Thomam quæst. 66. art. 1.

D V B I V M III.

Qualis lux; & quo spatio primi diei sit producta; an post tenebras; & quo finis, & usus eius lucis.

S. Thomas 1. p. q. 87. aa. 4.

1 Lvcem fuisse primo die creatam, adeoque esse opus primæ diei extra omnem dubitationem est; siquidem expresse Moyses Gen. 1. v. 3. ait. *Dixitque*

Dens: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: & diuisit lucem à tenebris; appellavitque lucem diem, & tenebras noctem. Factumque est vesper & mane dies unus; hoc est primus. Hanc autem lucem fuisse creatam non in principio primi dici, sed sex circiter horis tenebrarum, post initium primi diei, elapsis, constat ex dictis dub. 1.

*Quibus positis, de eadem luce quæritur primò, an fuerit corporea, an incorporea. De qua re sunt duæ sententiae. Prima est Augustini, qui lib. 11. de ciuit. cap. 9. & 33. docet, hanc lucem spirituale esse, quemadmodum etiam refert S. Thomas citat. q. 67. art. 4. vbi ait: *Augustinus videtur dicere, quod non fuerit conueniens, Moysen pretermisso spiritualis creatura productionem.* Et ideo dicit, quod cum dicatur, *In principio creauit Deus cœlum & terram,* per cœlum intelligitur spiritualis natura adhuc informis: *per terram autem intelligitur materia informis corporalium natura.* Et quia natura spiritualis dignior est, quam corporalis, fuit prius formanda. Formatio igitur spiritualis naturæ significatur in productione lucis, ut intelligatur de luce spirituali. Formatio autem naturæ spiritualis est per hoc, quod illuminatur, ut adhuc est verbo Dei. Eandem sententiam fecuti sunt Eucherius in cap. 1. Genes. & Rupertus lib. 1. de Trinit. cap. 10.*

*Secunda sententia communis SS. Patrum est, eam lucem fuisse corpoream. Ita refert ibidem Sanctus Thomas: *Alijs, inquit, videtur, quod sit praetermissa à Moysi productionis spiritualis creatura.* Sed huius rationem diuersimode assignant. Basilius enim homil. 1. Hexaem. dicit, quod Moysen principium sue narrationis fecit à principio, quod ad tempus peripet sensibilium rerum: *sed spiritualis natura, id est, Angelica, prætermittitur, quia fuit ante creata.* Sed haec ratio non probatur ex dictis disput. 5. quæst. 1. dub. 1. Chrysostomus autem homil. 2. in Genes. assignat aliam rationem: quia Moyses loquebatur rudi populo, qui nihil nisi corporalia poterat capere, quem etiam ab idolatria revocare volebat. Assumpsisse autem idolatriæ occasionem, si proposita ei fuissent aliqua substantia, supra omnes corporales creaturas. *Eas enim reputassent eos;* cum etiam prius essent ad hoc, quod solem, & lunam, & stellas colerent, tanquam deos: *quod eis inhibetur Deuter. 4.* Atque hac vtiique sententia, lucem illam fuisse corpoream & sensibile, multò superior est, quam etiam dub. 1. supposimus; eademque est communis Scholasticorum ac Interpretum sententia: quam tradunt Magister, & alijs in 2. dist. 13. præsertim cum opposita Augustini sententia parvum probabilitatitur fundamento, nimur totum opus creationis & formationis mundi fuisse simul ac in eodem instanti peractum; & dies sex à Moysi commemoratos solum significare cognitionem Angelicam, ad alia & alia obiecta terminatam, quod refutauimus quæst. 1. dubio quarto.*

Quæritur secundò, quanta fuerit illa lux primò creata. Et quod ad quantitatem extensuam attinet, iam suprà dub. 1. retulimus Iunilij seu Bedæ sententiam, qui dixerat, eam lucem fuisse qualiter ac generaliter per totum corpus cœlestis diffusam. Sed quam ibidem refutauimus; quia hac ratione non potuissent distinguere noctes & dies, mane & vesper; quod tamen huic luci tribuitur Genes. 1. versus 4. Nisi quis dicat, retrahitione seu extinctione lu-

minis

minis noctem; iterata vero emissio radiorum seu luminis diem fuisse productam, non sine continuo miraculo: quod proinde infra quæstiuncula 5. re-
siceretur. Fuit ergo lux illa non æqualiter per totum cœleste corpus diffusa; sed particulari aliquo spatio cœlestis corporis definita; cuius successiva promotione, dies & nox distinguuntur, ipsorumq; naturalium dierum spatia distinguuntur; donec creato sole, perfectior distinguendi ratio succederet, ut inferius loc. cit. dicetur. Quod vero ad quantitatem intensuam attinet, probabiliter credo, eam lucem, initio non fuisse tam intensam ac perspicuum, quam in sole postea die quarto eniuit: quod expresse docuit Pererius mox citandus, & consentaneum est S. Thomæ. Ratio conuenientiae patebit ex quæstiunc. sequente.

Quaritur tertio, qualis secundum propriam rationem & substantiam ea lux fuerit. In qua re maior est sententiarum varietas: quam ita breviter simul referat recenset idem S. Thomas cit. q. 67. a. 4. ad 2. [Quidam, inquit, dicunt, lucem illam fuisse quandam nubem lucidam, quæ postmodum facta sole, in materiam præiacentem redit. Sed istud non est conueniens. Quia scriptura in principio Genesis commemorat institutionem naturæ, quæ postmodum perseverat. Vnde non debet dici, quod tunc aliquid factum fuerit, quod postmodum esse desiderit. Et ideo alii dicunt, quod illa nubes lucida adhuc remanet, & est coniuncta soli, ut ab eo discerni non possit. Sed secundum hoc illa nubes superflua remaneret: nihil autem est vanum in operibus Dei. Et ideo alii dicunt, quod ex illa nube formatum est corpus solis. Sed hoc est dici non potest, si ponatur corp⁹ solis non esse de natura quatuor elementorum, sed esse incorruptibile per naturam. Quia secundū hoc materia eius non potest esse sub alia forma. Et ideo est dicendū, quod ut Dionysius c. 4. de diuin. nom. quod illa lux fuit lux solis, sed adhuc informis, quantum ad hoc, quod iam erat substantia solis, & habebat virtutem illuminatiuam in communione; sed postmodum data est ei specialis & determinata virtus, ad particulas efficitur. Et secundū hoc in productione huius lucis, distincta est lux à tenebris, quantum ad tria. Primo quidē quātū ad causā, secundū quod in substantia solis erat causa luminis; in opacitate autē terræ, causa tenebrarū. Secundo quātū ad locū, quia in uno hemisphærio erat lumen, in alio tenebrae. Tertio quantum ad tempus; quia in eodem hemisphærio, secundum unam partem temporis erat lumen, secundum aliam tenebrae. Et hoc est, quod dicitur, Lumen vocavit diem, & tenebras noctem.] Ita S. Thomas, qui eandem repetit sententia q. 70. a. 1. & sequuntur Dionysius Carthusianus in c. 1. Gen. a. 9. Pererius lib. 1. in Genes. vers. 3. & Gregorius de Valentia hic disp. 5. q. 3. pun. 1.

Sed nec ista sententia caret difficultate. Primo. Quia vix explicari potest, quanam ratione hæc lux initio informis, postea primum quarto die fuerit formata magis, & perfecta; nec id satis explicat S. Thomas. Pererius autem & Gregorius de Valentia eam perfectionem in hoc potissimum constituant, quod tunc primum (quarto die) proprio motu, per quem quatuor anni tempora distinguuntur, moueri cœperit, ab occasu in ortum; cum ante dies inter se plane, æquales confecerit. Sed cum hoc nihil plane ad-

dat intrinsecæ perfectionis ipsi luci, non est ratio, cur ea lux prius dicta sit informis. Vnde Pererius: Addi, inquit, posset, quarto die accessisse soli, eam quam postea habuit magnitudinem, figuram & pulchritudinem, non enim primo die globus usquequam accensus est, sed aliquatenus tantum. &c. Sed hoc iuxta S. Thomam quæst. 67. articulo tertio, vbi lucem statuit ex forma substantiali solis emanare, absque substantiali mutatione solis fieri non poterat; quam tamen S. Thomas in sole respuit, vt vidimus. Deinde. Si sol, seu solis corpus quoad substantiam iam primo die creatum erat, Ergo vel luminare maius, de quo mentio est Genes. 1. vers. 16. non est ipse sol, seu corpus solis; vel certe id non fuit quarto primum die productum; quorum utrumque est absurdum & contra literam Mosis, ac communem omnium interpretationem; quicquid Catharinus male posterior admittat.

Ob quam potissimum causam, omisis variis aliorum sententias, quas refert Pererius loc. cit. ea mihi magis probatur sententia, lucem illam primigeniā, non fuisse certam aliquam substantiam lucidam, sed solum accidentis lucis, sive luminis, nulli subiecto certo constanter inherēs, sed à solo Deo in cœlesti corpore adhuc liquido, vt dicetur, seu in cœlestibusquis, secundum lineam verticalē ita successione productam, vt sensim in alia & alia eiusdem corporis parte perinde produceretur, ac si unum & idem corpus lucidum motu suo, ab occasu in ortum, naturalem diem continuam lucis ac tenebrarum successionem efficeret. Hanc existimo fuisse sententiam Basilii homil. 6. in Genes. Si verba eius bene expendantur, vt recte intellexit Molina, & fere Pererius in infra, et si plerique ibi cum explicent, quasi senserit, illam lucem perpetuo miraculo, absq; omni subiecto constituisse. Eandem sententiam indicant Gregorius Nazianzenus orat. in nouam Dominicam, Theodoret⁹ q. 14. & 16. Athanasius q. 74. Anastasius Antiochenus⁹ in Hexaem. lib. 4. Procopius hic, & Damascenus l. 2. fid. c. 7. item Didymus & Apollinaris in Catenæ; qui dum dicunt, hanc lucem quarto die inditam luminibus cœli, non de luce eadem plane singulari ac individua, sed de eadem, per continuam quādām successionem, (sicut eadem fluminis aqua dicitur) accipiendi videntur: nisi forte lucem aliquā aut sine subiecto existere, aut ab uno in aliud naturaliter migrare existimauerint, in qua re non sunt sequendi. Nec vero absurdum est, vt accidens aliquod & mera qualitas, primo die à Deo producta, mox postea, secundum individuam rationem, desiderit & evanuerit: præserit si dicatur, lucem ibidem (vti & alias s^ep^e) promovere accipi, ut inferius dicetur.

Eandem sententia ex instituto probat & defendit Molina de oper. sex dier. disp. 7. & probabilem existimat Delrius in cap. 1. Genes. hum. 22. vbi etiam notat, posse in eundem forte sensum non incommode intelligi Dionysium cit. cap. 4. a. S. Thoma in aliam sententiam citatum; cum Maximus in scholis, ex mente Dionysii dicat, non ipsum solē, seu corpus solis, primo die creatum, sed ὅτι τὸ περιστέριον Φῶς τῆς πτώσης μετεχωνάθη εἰς ἡλιον, hoc est, quod lumen primo creatum in solē fuerit transformatum. Ut sim ambiguus, inquit Delrius, utrum S. Dionysius id senserit, quod sensisse Scholasticī latini eu-

opinatur; an vero tantum, hoc lumen id ipsum esse (modo superiorius explicato) quo postea sol illuxit, quemadmodum S. Nazianzenus, & ceteri illi Patres censuerunt, à voce etiam *luminaris* argumentum ducentes, quod *ωσης* vocant.

9 Et probatur hæc sententia primo; quia consonat magis scripturæ sacrae. Neque enim, ut bene argumentatur Molina loc. cit. dixit Deus, *Fiat luminare*; sed, *Fiat lux*, & *facta est lux*. Quando vero quarta die fecit luminaria, dixit, *Fiant luminaria in firmamento cœli*, & *dividant diem ac noctem*. Et infra v. 16. *Fecit Deus duas luminaria magna, &c. & stellas, & posuit eas in firmamento cœli*, ut luceren super terram, & praefestent die ac nocti, & dividenter lucem ac tenebras. Vbi Deus, cum quarta die facta iam essent luminaria, à quibus immediate lux procedebat, ipsi met lumina ribus tribuit, dividere diem ac noctem, & lucem ac tenebras: prima autem die sibi ipsi attribuit, dividere lucem ac tenebras; et quod immediate ab ipso lumen prodiret. Accedit, quod in versione LXX. eo loco Genes. v. 3. vbi de luce prima dici agitur, legitur *τὸν φῶν*, quod proprie necluminare, nec lucem, primigeniam subiecti lucidi, quasi fontem luminis, sed *lumen* significat; sicut etiam promiscue in scriptura lumen & lucem pro eodem usurpari, notauit Delrius loc. cit. Præterea hæc sententia nullas, ut aliae, aut certe minores patitur difficultates; ut ex dictis colligitur. Denique si in re arcana conieatur *lumen facere* licet, forte prævia hæc in archetypo seu **magni** mundo imperfecte cuiusdam lucis formatione, significare voluit Deus, in antiquo mundo, imperfectum & mutabilem ac defectibilem statum gratia; quacum primus homo, veluti parvus mundus, postea fuit creatus; atque ipsi etiam Angeli initio erant producti: donec postea statu beatitudinis adepti, plena & constantiluce, utrique quasi iam ipsius solis æmuli collustrarentur.

10 Queritur quarto; quare lux, ante reliqua opera dierum sequentium fuerit producta; ita ut quasi primum esset opus formationis seu distinctionis mundi. Ad hoc bene respondet S. Thomas cit. q. 67. a. 4. *Necessarium fuit, ut informitas tenebrarum primo remoueretur, per lucis productionem, propter duos. Primo quia lux est qualitas primi corporis. Vnde secundum eam primo fuit mundus formandus. Secundo propter communiam lucis. Communicant enim in ea inferiora corpora cum superioribus. Sicut autem in cognitione proceditur à communioribus, ita etiam in operatione. Nam prius generatur visum, quam animal, & animal quam homo, ut dicitur in lib. 2. de generat. animal. cap. 3. Sic ergo oportuit ordinem distin. sapientia manifestari, ut prima inter opera distinctionis producetur lux, tanquam prima corporis (coelestis) forma, & tanquam communior. Basilius tamen homil. 3. Hexaem. posuit tertiam rationem; quia per lucem omnia alia manifestantur. Potest & quarta ratio addi, quia dies non potest esse sine luce. Vnde operatur in prima die fieri lucem. Ita S. Thomas. Addo deinde, lucem fuisse figuram quandam, ut dictum est, gratia hominibus vel Angelis communicata; quæ in illis est quasi fundamentum omnis reliqui ornatus supernaturalis, ex variis virtutum honorumque actuum operibus ac fructibus existentis. Quæ etiam causa fuit, cur initio fuerit lux imperfectior, ut di- cendum.*

11 Quæritur quinto, quomodo tunc lux illa efficerit diem ac noctem. Respondeo ex dictis, nō fecisse hoc, quasi ipsa in se pro Dei arbitratu, nunc quidem suū splendorem effuderit, alias vero contraxerit, ut significat Basilius homil. 2. in Hexaem. & Dassascenus lib. 2. cap. 7. quod merito refutant Augustinus lib. 1. super Gen. cap. 1. 1. & 1. 6. & S. Thomas hic q. 67. a. 4. ad 3. Nec quod ipsa in se, ac secundum rationem individuali, vere fuerit ab Oriente in Occidente, mota, donec continuo motu spatio viginti quatuor horarum, suum cursum absolveret, & ad idem punctum rediret, ut S. Thomas loc. cit. Gregorius de Valentia, Perierius, & alii, idque iuxta suam sententiam necessario ac conuenienter docent: sed quod efficiere à Deo, & continua quadam successione, in celesti corpore adhuc liquido, ita fuerit propagata, semper interim simul partem priorem deserendo, perinde ac si eiusdem magnitudinis lucidum corpus vero motu locali totum celi ambitum, ut ante dictū, pergaſet. Id quod ex dictis, & expositione nostræ sententia, circa questionem secundam, sequitur, & facile cuius perspicuum est. Plura de hac luce videri possunt apud citatos. Nec enim in eo nobis immorandum est, ut explicemus & defendamus, lucē non esse corpus; nec formam substantialē corporis; sed accidens; quod à S. Thomas hic cit. q. 67. a. 2. & 3. contra nonnullos docetur, cum id ex Philosophia sit compertum. An vero tanquam proprietas quadam, ex ipsa forma substantiali solis, seu corporis lucidi oriatur, ut significat S. Thomas cit. a. 3. in corp. inferius dicetur q. 2. dub. 3. & quæst. 4. dub. 2.

D V B I V M . I V .

Ex qua materia corpus cœlestis constet.

S. Thom. 1. p. q. 66. a. 2.

Nō mine cœli in principio ac initio primi diei creati non intelligi tantum cœlum Empyreum, sed totum corpus celeste, quoad suam substantialiam, dictum est dub. 2. Quo posito, merito deinceps & conuenienter ordine, persistendo in expositione eiusdem operis primi diei, de cœlorum natura & communib[us] proprietatibus (soliditate excepta, quæ proprie ad firmamentum, & opus secundum diei pertinet) dubiis aliquot subsequentibus disseremus. Et quod ad materiam cœli ac presentem dubitationem spectat;

Suppono primo, cœlum esse corporeum. Quæ communis & certa est SS. Patrum, ac Philosophorum sententia; nec de cœlo sydereo dubitatio esse potest, cum sensu obviatur. Empyreum vero licet Justinus in admonitorio, intelligibile; Anselmus lib. 1. de imagine mundi, 2. 8. spirituale dixerint; ad hæc Origenes in Genes. hom. 1. cœlo Empyreum corporeum opponat, & denique Steuchus in cap. 1. Genes. vltius remare progressus, etiam lucem quandam incretam, & perenniter à Deo emanantem dixerit: tamen aliis SS. Patres, hodieq; Theologi omnes, merito cœlum etiam Empyreum, ut potest non tantum Angelorum, sed etiam hominum beatorum sedem ac domicilium, corporeum esse docent. Ut taceam, quod Gennadius lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 12. abso-lute pronunciat, nihil incorporeum & innisibile natura credendum, nisi solum Deum.

Suppo-

Suppono secundo, iuxta receptionem ex Aristotele 1. de celo cap. 7. tex. 94. & 12. Metaph. cap. 2. tex. 10. aliisque Philosophi antiquioribus, Peripatetico-rum sententiam; quam S. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & 2. item Bonaventura, Aegidius, Capreolus in 2. d. 12. Heruæus quodl. 4. q. 3. & alii Theologi ac Philosophi communiter, imo ut Ruuius infra ait, omnes recentiores sequuntur, omnem substantiam corpoream, adeoq; etiam cœlum, constare materia & forma. Quod & SS. Patres in caput 1. Gen. disputantes, tanquam ratum ac firmum supponunt, vt videbimus: quicquid fauente non nihil S. Thomas in 2. distin. 12. q. 1. a. 1. ad 5. post Averroem in lib. de substantia orbis 2. & lib. 8. Metaph. c. 4 & l. 1. de celo tex. 7. & 10. Durandus & Gabriel in 2. d. 12. Mayo. & Bassolis distin. 14. Godfredus quodlib. 2. q. 2. Iandinus 8. lib. Metaph. q. 7. itemq; Petrus Arcolus in 2. d. 14. a. 1. & 2. dixerint, esse quidem corporeum & quantum, at nos compositum ex materia & forma; sed formam quandam per se coherentem absq; materiali; quantitate aliisq; accidentibus quibusdam affecta. Quod ex parte eiusdem comprobant Scotus in 2. d. 14. q. 1. vbi putat, secundum Theologos tribuendam celo materiam, secundum Philosophos negandam. Sed hoc præter alios merito refellit Dionysius Carthusianus in 2. d. 14. q. 1. vbi addit, quod opinio illa Averrois ex statu errona, Aristoteles quoq; contraria &c. et si forte illa Erroris censura nimia videri possit.

Aristoteles certe lib. 1. de celo cap. 7. tex. 64. expressebat: Cœlum autem est quidem eorum, quæ singularia sunt; & eorum, quæ ex materia. Et lib. 2. de generat. sum. 4. cap. 1. tex. 51. Sunt igitur, inquit, & numero aequalia, & genere eadem, (principia) quæ in compiternu, & in primis: illud enim ut materia est, hoc autem ut forma. Et lib. 8. Metaph. cap. 2. tex. 3. ait: Sensibiles vero cuncta substantia materia habent. Et lib. 12. tex. 10. Cuncta, inquit, quecumque mutantur, materiali habent, sed diuersam. Et mox addit, sensibilia habere materiam non generabilem. Neque duum, cœlum secundum Aristotelem esse substantiam sensibilem, cum oculis conspicatur. Quod vero lib. 9. Metaph. tex. 17. negat, incorruptibilis esse in potentia substantiali; intelligendum est de potentia separabilib; ab actu suo. Ratio est. Quia omne corpus materiale est, adeoq; constans materia; cœlum autem esse corpus, fatentur Aduersari: Ergo. &c. Quod eum ex ipsis adeo terminis notum sit, non in merito ait Antonius Ruuius lib. 1. de celo c. 2. q. 3. oppositam sententiam ab scholâ prorsus esse rebatur.

His ergo positis, controvenerunt, ex qua materia cœli consistit, & cuius adeo sint naturæ; eaq; etiam controversia duplex est. Prima, an cœlum (alitem sydereum) ex aliqua præsupposita ac præexistente materia productum sit? Secunda, ex quanam materia cœlestia corpora consistunt?

Et quod ad primum attinet, patet iam ex dictis dub. 2. non modo cœlum Empyreum, de quo nulla hic est controversia, sed etiam sydereum; imo & aerum, quod ad substantiam, ex nulla materia præexistente productum, sed à Deo ex nihilo creatum fuisse: tametsi illi ipsi, qui dicunt, in principio, & ante cetera omnia creatum, & ex nihilo productum fuisse, una cum terra, solum cœlum Empyreum; cœlum vero

sydereum, etiam quoad substantiam, primū secundo die à Deo productum fuisse, consequenter assertant, id ipsum cœlum sydereum non ex nihilo, sed ex aliqua præexistente materia factum fuisse.

Quod tamen præter ea, quæ cit. dub. 2. diximus, ex hoc etiam probabilitate refellitur. Nam si cœlum sydereum, siue firmamentum, ex præsupposita ac præexistente materia, terra videlicet, aqua, aere, veligne (quæ sola ante firmamentum vna cū Empyreo producta fuisse dici possunt) factum fuisset, tunc ea productio à Moysi non soli Deo, sed ipsi etiā materiae eiusmodi præsuppositæ tributa fuisset; nec adeo dictu à Deo fuisset, vt cap. 1. v. 6. legitimus, *Fiat firmamentum &c. Efecit Deus firmamentum &c.* Sed potius dictu à Deo fuisset, producat terra, velaqua, vel aere, vel ignis firmamentum: sicut ob eandem causam dictum est ibidem v. 20. *Producant aqua reptili anima viuentia, & volatile super terram.* Et cur sum v. 24. *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terra, secundum species suas.* Pluta infieri.

Quod vero ad alteram controvensem attinet, ex quamnam videlicet materia cœlestia corpora consistunt, de materia propinquâ potissimum sermo est, ac si quereras, cuius sint naturæ. Cum n. quoad substantiam, vt dictu, ex nulla præsupposita materia, producta, sed proprie creatâ sint, non possunt dici ex hac vel illa, putahuius vel illius elementi materia constare, nisi quia naturam his vel illis elementis similem, isdemque dispositionibus materialibus affectam habent.

Hæc autem questio explicatu difficultata iam olim viris doctissimis visa est; è quibus Philo lib. de somniis: Cœlum vero, inquit, naturam haber incomprehensibilem; nec illa eius notitia certa demandat ad nos. Quid enim possumus de hoc pronunciare? *Esse concretam glaciem, ut quibusdam placet, an ignem purissimum? an quintum quoddam corpus in orbem mobile, nulli affini ex elementis quatuor? Quid illa extrema phœnix fixorum sydereum, habetne soliditatem, an superficiem tantum sine altitudine, figuris in planis pictis similis? &c.* Similiter & Basilius veroque tractatu, seu potius versione Hexaemeron, nimirum homil. 1. & lib. 1. cœli naturam plane facetur in comprehensibili. Et Augustinus nusquam propemodum magis heret, quam vbi de colorum natura ac proprietatis differit, vt inferius patebit. Denique Damascenus lib. secundo, cap. sexto ait, *Substantiam cœli nimum querere non oportere, ignoram nobis existentem.*

Qua de causa etiam varia prorsus sunt tam Philosophorum, sanctorumque Patrum, quam posteriorum, recentiorumque Doctorum ea de re sententiae. Sunt enim multi veteres, recentioresque scriptores, qui cœlum sydereum, siue mobile ex materia elementari, adeoq; ex ipso aliquo elemento constare volūt. Etenim vt notauit Peterius lib. 2. in Gen. q. 10. præter unum Aristotelem, qui cœlum quintæ cuiusdam essentia esse docuit, & natura quandam ab omnibus rerum sublunari naturis longe semotâ diuersamq; omnium Philosophorum concors fuit sententia, cœlum & astra vel ex quatuor elementis, vel ex duabus, vel ex eorum uno aliquo constare. Quas Philosophorum sententias referunt Plutarchus lib. 2. de plac. Phil. c. 11. Philo lib. de somn. Theodoretus lib.

- de mater. & mundo, Mirandula lib. 1. Exam, cap. duodecimo.
- 10 Et prima sententia est, cœlum & astra esse natura ignea; adeoque materia ignis confare. Ita veteres Ägyptii olim stellas cœlestes esse ignes tradiderunt. Anaximander docuit, solem ignem esse purissimum; Anaxagoras, solem esse cœdantem laminam seu ferum; Plato in Timæo necessarium esse docebat, quia cœlum visibile est, ex igne constare; saltem potiore sui parte. Stoici itē omnes docent, sydera esse ignea, pascique & ali vaporibus ex aquis & terra sublati, & ad se attracti. Quod etiam sequitur & tuctur Balbus apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum, & post eum Plinius lib. 2. c. 9.
- 11 Sed & Augustinus, iisdem Stoicorum ac Platonis placitis insistens, pluribus locis indicat, cœlum & astra constare natura ignea, ut notauit etiam Magister lib. 2. dist. 14. Namq; lib. de Genes ad literam cap. 4. (quem locum citavimus questione precedente conclusione secunda) cum Augustinus quatuor tantum agnoscat corpora simplicia, e quibus totus hic mundus coagmentatus est, terram, aquam, aerem & ignem, hunc maxime cœlo & astris assignat.
- Et lib. 2. de Gen. ad literam cap. 3. ait, Itaque super aerem puris ignis, esse dicunt calum; unde etiam sydera atq; luminaria facta coniectant, illius videlicet ignea lucis in eas formas, quas in calo cernimus, conglobata diffisiq; natura.
- 12 Fuent eidem sententiae plerique alii SS. Patres, quicunq; aquas supra firmamentum existentes, vera aquas, & ad refrigerandum temperandumq; ardorem syderum, in cœlo positas fuisse tradiderunt, vt inferius dicetur. Sed & aperte ipsum totum firmamentum ignea esse natura sensisse videtur Gregorius Nyssenus, in Hexagon. item Alcuinus quest. 23. in Genes. Anselmus lib. 1. de imagine mundi cap. 25. & Dionysius Carthusianus enarrat. in Gen. art. 20.
- 13 Qui etiam in 2. senten. d. 14. quest. 2. pro comperto habendum existimat, corpora cœlestia esse elementaris natura, cum ait... Postremo omnibus iam prætatis rite pro posse penitus, securius reor, textum genesios, ac sanctos sequi Dolores, & ipsam Canonica scripturæ defendere veritatem. Certum est autem, excellenter sanctos Doctores, tam latinos, quam graecos, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, posterioresq; multis, videlicet Bedam, Strabonem, Rabanum, Alcuinum, Albinum; ut inter Graecos Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Ioannem Damascenum, & alios plures, ita egisse; ita quod omnes hi senserunt, scripsierunt, & fassi sunt, corpora cœlestia elementaris esse natura: opinionem quoque illam (Aristotelis) quod sint altioris speciei & quinta essentia, ex intentione redarguisse, prout ex preallegatis ostenditur.
- 14 Denique ex recentioribus Martinengus in cap. 1. Gen. pag. 666. et si dubius tamen, sicut Peripateticis discedendum sit, vero similiter censet, & ipsum calum ex elementorum summariis coagmentatum, ex prædomino igneum esse. Quod etiam apertius tradit pag. 476.
- Rationes esse possunt. Tum quia ipsa etiam scriptura soli calorem tribuit. Psal. 28. Non est, qui se abscondat a calore eius. Eccles. 43. sol in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quia poterit sustinere? Tum quia a specie ipso videtur deprehendi, astra non
- solum lucida esse, sed etiam flammantis cuiusdam & coruscantis naturæ, ut ex perpetua omnium fere stellarum scintillatione colligitur. Idem significat nomen Ätheris, (vt de celo Empyreio faciem) quod ab igne dicitur.
- Secunda sententia est, astra quidem esse natura ignea; at vero cœlos ex aquis, seu aquæ materia constare. Refert & sequitur hanc sententiam velut communem Procopius in cap. 1. Genes. sunt, inquit, qui peribent, eius naturam nobis parum esse cognitam & comprehendam: quamvis via pernigata omnium theologorū, ex aqua compactum esse tradatur. Nec desunt, qui autuant eius materiam esse aquam, & subfistere. Deo id formante & componente. Alii docent, saltem esse partē quādam aquæ. Quidam affirmant, firmamentum constrūtu esse ex terra aquarum parte, alius duabus partibus, altera in terra, altera supra firmamentum fluente: Vnde Hebreorum lingua nuncupetur firmum (Samain) qua dictio Crystallum, vel aquam congelatam denotat.
- Et Cyrillus catech. 9. distinxit docet, aquam esse cœlum, & igneum in eo cœlum, & lunam, & sydera. Eiusdem sententiae sunt, Iosephus lib. Iud. antiquitatum cap. 1. Clemens Romanus lib. 2. Recognitionum, Theodoretus quest. 11. in Genes. Genndius & Seuerianus in catena, Beda in Hexameron, Hugo lib. annot. in Genes. Magister sententiarum lib. 2. dist. 14. Author historiae Ecclesiastice lib. 1. cap. 4. & ex recentioribus Molina prima parte tractatu de opere sex dierum, disputat. 2. & 10. Catharinus item in epist. 2. Pet. cap. 3. & Heb. 1. Valerius Philos. sac. cap. 89. Martinus del Rio in cap. 1. Genes. Salmeron in Euang. tom. 1. Prolegom. 5. & tom. vlt. in 2. Pet. cap. 3. disputat. 4. alioq; nonnulli recentiores: qui aperte sentiunt, cœlos esse natura elementaris; adeoque constare ex materia elementari; idque contra Peripateticos exscriptura liqueat utrumque.
- Verba Bedæ, perspicue mente eorum, quos citauimus, explicantur: In media aquarum firmatum esse constat sydereum calum: neque aliquid prohibet, ut de aquis factum esse credatur. Qui enim crystallini lapidis, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas, ac puritas nouimus, quem de aquarum concretione certum est procreatum: (ita author hic, & plures alii veteres existimabant) quid obstat credi, quod idem diffusor naturarum in firmamentum cœli substantiam solidari aquarum?
- Ad astra vero pertinere existimo, quodidem Beda docet alibi, cœlum esse natura ignea, sic enim ait cap. 1. de nat. rerum: Cœlum sublimis, igneaque natura, rotundumque & à centro terra aquæ spatiis undique collocatum. Et lib. 2. de Elem. Philos. initio: Ionis, inquit, est spatiū à luna sursum; quodidem aether dicitur; cuius ornatua est, quicquid supra lunam videtur; scilicet stellat amissive, quam erraticæ.
- Ratio sumitur tum ex similitudine, quam ratione perspicuitatis & puritatis habet cœlum cum aquis, praesertim conglaciatis. Tum quia idipsum etiam colligi videtur ex scriptura. Nam vt Molina disputatione secunda ratiocinatur, firmamentum, scilicet est in medio aquarum, eoque diuisi Deus aquas ab aquis, ut scriptura sacra aperte narrat Genes. primo, vers. secundo. Ergo ante firmamentum non erant aer & ignis; alioquin aquæ superiores, iam fuisse diuisa ab aquis inferioribus aere, aut sinu etiam igne, ac proinde non

15

16

17

18

19

diuisi.

divisum est eis firmamento, nec scriptura narraret, Deum dixisse. Et si firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas. &c. Cum ergo in interstitio, quod firmamentum hodie occupat, non fuerit vacuum, a principio creationis cœli & terra, usque ad secundam diem, in qua factum est firmamentum, nec detur aliud corpus, quod in eo spacio fuerit propter aquas, quas scriptura a principio una cum cœlo & terra commemorat factus, colligitur profecto, in eo spatio fuisse aquas, ex eisque fabricatum fuisse firmamentum, hoc est, orbes omnes celestes, ignemque & aerem. Neque enim dicendum est, aquas quae ibierant, fuisse redactas in nihil, de nihiloque creatum fuisse secunda die firmamentum. Ita Molina.

20 Idem colligitur ex hebreo nomine cœli schismate, quod ad verbum sonat, ibi aquæ: quanquam hoc magis probat aquas supra cœlos esse, ut dicetur q. 8. quam ex aquis cœlos.

21 Tertia sententia est, cœlum esse naturæ aereæ. Ita quosdam recentiores Astronomos sentire refert Tycho Brahe epistola ad Christophorum Rottmannum, Mathematicum Landgrauianum data Anno 1588 die 17. Augusti, ubi ait: [Materiam sphærarum coelestium tu non aliam, quam elementarem aerem esse, & refractiones nullas ob diaphanorum ætheris & aeris diversitatem sieri contendis; omnemque refractionum occasionem, in solos vapores horizonti obuersantes reuicias. Et infra: Qui vero cœlum, inquit, aereum statueret, neminem ante Iohannem Pennam Gallum percepi: Cuius tu sententia suffragari videris: & nuper etiam Iohannes Iordanus Nullanus in quodam scripto de mundo, contra Peripateticos idem assertore, aulus est.

22 Et tunc in alia epistola ad eundem, Anno 1589. 21. Februarii data: [Quantum vero, inquit, ad priorem epistolam tuæ partem attinet, in qua copiose & perleueranter materiam cœli esse aerem elementarem contendis, nec à semel arrepta sententia te vallis ratiociniis dimoueri sinis: eaque, quæ in contrarium merito dicuntur, speciosis subterfugiis eludere conaris, hisce non constitui sigillatum multa responderem. Quin per te tibi liberum sit, elementum aeris cœlo miscere; siquidem non aliter vis, imo si quis cœlum aqueum, ut Hebrei, vel igneum, ut Paracelsus, aut etiam terreum (modo cui sic lubeat) aut quiddam ex his quatuor compositum, ut nuper Franciscus Vallesius affirmare præsumpsit, mea etiam non intererit. &c.] Argumentum pro hac sententia sumitur ex refractione, quæ eadem est in æthere & in aere; quod fieri non posset, si æther ab aere naturæ esset diversus.

23 Quarta sententia est, cœlos esse naturæ terreæ, adeoque ex terra fabricatos. Ita sensisse feruntur Thales & Anaximenes; & vt nonnulli volunt, etiam Empedocles.

Ab his omnibus diversa est quinta sententia, quam sequentibus assertionibus explicamus & tuemur.

24 Alerio I. Cœli non constant ex igne vel aqua-elementari; aut illa materia, seu natura elementari; sed sunt propria cuiusdam ac quinta essentia, ab omnibus quatuor elementis diversa. Ita ex instituto, ac forte primus omnium docet ac probat Aristoteles lib. 1. de cœlo cap. 2. &c. 1. Meteor. cap. 3.

25 quem secutus est Theophrastus discipulus ipsius; omnesque Aristotelis interpretes; tam Græci, quam Arabes; speciatim Auerroes, Auicenna, Algazel. Quos ab anno iam quadragecentis, sequuntur omnes fere Scholastici.

Albertus in 2. d. 14. q. 2. docet, cœlum ac materiam cœli [non esse eiusdem naturæ cum sublunari bus; & addit: Cœlum secundum Augustinum, non est de natura aquæ deorum fluxibilis; sed est ex aqua, quæ propter puritatem naturæ, in substantia, & perspicuitatis, in dispositione materiali, ac luminositatis in profundum sui, per opus distinctionis, sita est super cœlos, ut ex ea formarentur cœlestia, sicut est dictum. Et illa aqua nullum est elementum.] Item Alensis 2. parte q. 50. [Cœlum, inquit, stellatum videtur ex eadem esse informi materia, de qua dicitur Genes. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas; non tamen ex eadem materia propria: imo sicut differt cœlum crystallinum à firmamento, & aquæ inferiores differunt à firmamento, ita differunt propriæ horum singulorum materiarum.] Vbi aperte sentit aquas illas, ex quibus firmamentum coaluit, esse diversas ab his aquis inferioribus. Idem docet Gulielmus Parisiensis, eiusdem synchronos, aut paulo antiquior lib. de vniuerso part. 1. cap. 39. vbi inter cetera ait: Forma ergo cœlorum, quam medium illud aquarum in sua suscepit materia, distincte naturæ est à formis elementorum, & elementorum: id est à calore, neque frigiditate exstat passibilis. Et infra ait: aquæ quæ supra cœlos sunt, non esse ibi in forma aquarum, quæ circa nos sunt. Nec dissentit Altisodorensis in summa.

Idem constanter & aperte docet S. Thomas 1. p. 26 q. 66. a. 2. & in 2. d. 14. Vbi ait: Circa hoc, finitius Philosopherum opinio. Omnes namque ante Aristotelem dixerunt, cœlum esse de natura quatuor elementorum. Quod Aristoteles primo improbavit, dicens cœlum esse sine gravitate & levitate, aliisque contrariis, ut patet primo sibi. Et propter efficaciam rationis eius postiores Philosophi consenserunt ei. Vnde nun omnes opinionem eius sequuntur.

Idem ergo docent Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus, Capreolus, & alii in 2. d. 14. Ferrensis lib. 3. cont. gent. cap. 20. item ex recentioribus Perierius lib. 1. in Genes. Gregorius de Valencia 1. p. disp. 5. q. 2. p. 1. Suarez disp. Metaph. 16. sect. 2. num. 8. Fonfeca cap. 4. q. 2. Toletus item, Comibricenses, & alii commentatores Aristotelis in libros de cœlo communiter: item Caicetus, Barnes, Zumel, & Thomistæ omnes in 1. partem Sanct. Thomæ.

27 Eandem sententiam ex Astronomicis recentioribus sequitur, & strenue propagnat Tycho Brahe, in pluribus locis suarum epistolarum Astronomicarum. Etenim epist. ad Rottmannum Mathematicum Landgrauianum data, Anno 1588. 17. Augusti, ita scribit: [At ego cœlum quidem non è dura imperiuaq; materia, in formam membranarum pellicularum extensa constare, velut haec tenus etiam à principiis Philosophi creditum est, vel ex ipsis cometarum motibus docet us sum; aereum tamen, vel vilius elementaris naturæ particeps esse, nequaquam admisero. Absit enim ut purissimæ perfectissimæque, & nullis mutationibus obnoxiae cœlesti

naturæ elementare, corruptibile, & variabile, atque huic inferiori caducæ regioni conforme aliquid affuatur; nam nec id vñquam vllus saniorum Physicorum admittere ausus est. Omnes siquidē vñanimiter cœlum è numero & natura quatuor elementorum prorsus exempta, & præstantiora quandam naturā præferre certissime statuūt, ideoq; illud quintā quandam essentiam, à quatuor illis elementaribus prorsus diuersam, longeq; excellentiōē nuncuparunt. Quod igitur Physici abhorrent, non admittatur, vt ipsi Mathematici tanta cœlum labo aspergant, vt ex aere elementari illud constare assuerat, simplicissimæ & purissimæ, adeoq; perfectæ ipsius substantiæ & naturæ plurimum derogent. *Z. infra.* Neq; etiam ignoro, *inquit*, quosdam Theologos, è Mose procul dubio minus recte intellecto, assuerare, cœlum ex aqua materia constare, quam tamen interpretationem Philo Iudæus non admitit, sed ipsum nullatenus ex vllis elementis compositum contèdit. Videtur etiam hæc sententia omni naturali rationicationi plurimum aduersari. *Et paulo infra:* Verum licet, *inquit*, nulli mortalium de ipsissima cœli materia (si modo è materia aliqua constare proprie dici potest) certi quid proferri in promptu esse credam: est enim cœlum abstractum quid, immateriali simile, nostrum captum effugiens, nihilominus satis concludere licet, ipsum de nulla elemɔntari natura participare: cum haec sit longe præstantius & diuinus quiddam, adeoque incorruptibile, & supra omnem elementorum qualitatem exaltatum, è purissima, simplici, & pellucida, rarissimaque substantia, admirabili Dei sapientia, & nobis imperscrutabili modo plasmatum. &c.] Et rursus epist. ad eundem Rottmannum Anni 1589. 21. Februarii, post aliorum sententias commemoratas subiungit: *modo* *et* *mibi* *quid* *sentiam*, *libere* *proferre* *liceat*, *ceteri* *videlicet* *substantiam* *esse* *aspheream* & *liquidissimam* *purissimam* *que* *quandam* *materiam*, *supra* *omnem* *elementorum* *naturam* *exaltatam*, *ad* *singularem* *quandam* *perfectionem* *deductam*, *velut* *quintam* *quandam* *essentiam*, *nuli* *mutationi* *aut* *alterationi* *obnoxiam*, *que* *aque* *peregrinas* *impressions* *naturaliter* *non* *recipiat*.

29 Porro ex SS. Patribus idem sentit Sanctus Dionyfius libro quarto de diuin. nom. cap. quarto, vbi ait, corpora cœlestia esse eius essentia, ac natura, que nec crescere, nec minui potest; nec vlla ex parte (mutatione corruptiva) mutari. &c. quem locum integrum adducemus quæstione quinta. Vbi cum asserat, cœlum esse naturam incorruptibilis, vtique sentit, habere naturam à quatuor elementis, & iis, quæ ex ip̄s componuntur, diuersam. Ita etiam S. Dionyfium intellexit Sanct. Thomas, inferius referendus.

30 Ita etiam plane sentit Basilius, eti pro opposita sententia citari solitus. Ita enim ait homil. 3. in Genes. [Nec tamen ipsum firmamentum, cum iuxta communem & vulgatam acceptiōem, ex aqua videatur ortum habuisse suam, aut aqua in glaciem concreta, aut materia cuiquam tali, quæ sui principium ortus ex humore percolato sumit, simile censendum est esse, qualem crystalli lapidis naturam esse constat. &c.] Ex his igitur nulli simile firmamentum esse censemus. Est enim puerilis, simplicisque profecto mentis, tales de corporibus

cœlestibus opiniones habere. Neque tamen si cuncta in cunctis insunt, ignis in aere, aer in aqua, ceterorumque similiter aliud iesit in alio, & nullum omnino eorum, que sub sensum cadunt, elementum syncerum est, mixtioneque caret, vt non sit aut medi, aut oppositi sibi particeps, firmamentum ob id ipsum, aut ex uno simplicium corporum, aut ex omnibus mixtum esse assicrare nobis placeat; qui iam ab ipsa diuina scriptura ita instituti sumus, vt nihil ultra ea, que sunt concessa menti nostræ, imaginari cogitareq; concedamus. &c.] Idem multo apertius docet Basilius in eodem opere Hexaem. iuxta Eustathii recens editam versionem libro primo, vbi diserte ait: *Nec de illis principalibus corporibus, que vocantur elementa, possibile nobis est credere, cœlum fuisse compositum.* Idem sensisse Augustinum refert. loc. cit. Albertus, nec male Tyché in eandem sententiam citat Philonem lib. de somniis loc. cit.

Hæc vero assertio dupliceiter probari potest. 31 Primum ratione naturali; quam Aristoteles aliquæ Philosophi petunt à motu à figura, à loco, à constanti & immutabili duratione, ab actione, propria colorumque probatio eti minimè sit contemptenda; non est tamen hoc loco à nobis fusi explicanda.

32 Altera probatio, & quidem solidior; sumitur ex historia Genesis, adeoque ex diuina scriptura; que eo plus in presenti habet momenti, quo magis authores quidam, præsertim recentiores, pro opposita sententia citati, existimat, nec vllum aliud maius esse suæ sententiaz firmamentum, quam scripturam; nec vlo argumento validius refelli nostram, quam scriptura; quam vt dixi nobis è diametro aduersari autemant. Eam autem rationem ita.

33 Nam si cœlum vllum constaret ex materia alicuius elementi, necesse foret, vt vel productum est ex præexistente alicuius elementi materia, vel certe materiam haberet proprietatibus & dispositionibus propriis alicuius elementi affectam, quam materiam secundam vocant Philosophi: atque neutrum dici potest. Non primum, vt patim patet ex iis, quæ præcedente quæstione, & initio huius quæstionis diximus; partim ex iis, quæ dicentur quæstione octava, vbi probabimus, aquas quæ super cœlos sunt, non esse elementares. Nec secundum; quia cœlum est corpus simplex non minus quam cætera elementa, vt communiter omnes supponunt. & pater non solum ex simplici motu, quem habet; sed etiam tum ex præstantia eius naturæ ab elementis prorsus independentis, tum ex ordine productionis diuinæ, qua à Deo creatum fuit ex nihilo. In principio, ante omnia corpora composita, vna cum terra, aliisque elementis, vt dictum quæstione præcedente. Cū ergo cœlum sit corpus simplex, & ab elementis adeo independentis, habet vtiq; ex sua met natura, non ex alterius elementi cuiusque participatione, suas qualitates, & dispositiones sibi proprias, atque ab aliis aliorum elementorum qualitatibus non minus distinctas ac independentes, quam singula quæque elementa, cum aliis elementis collata habent.

34 Quo fit, vt etiam si fortasse qualitates quædam, tam in cœlo, quam in elementis, aliquo modo cōsideriles

miles inuenirentur; quemadmodum etiam elementa symbolica inter se, ignis quidem & aëris calore, ignis & terra siccitate, terra & aqua frigore aliquo modo conueniunt; non tamen propterea magis dicendum foret, cœlum constare ex materia alicuius elementi, quam elementum quodlibet suā naturā, & ex vi primæ productionis diuinæ, dici possit constare ex materia alterius elementi.

35 Confirmatur assertio. Nam si cœlum constaret ex igne, facile ob sui corporis vastitatem omnia combureret; vt argumentatur etiam Philosophus, i. Meteor. cap. 3. Si ex aqua, facile ipso calore solis resolutum, deorum fluere: si ex aëre, non difficuler eodem calore solis, viti & à subiecta sphera ignis, in ignem converteretur; si è terra, non sane locum sibi supremum iure vendicaret; denique si ex vallis elementis esset compositum, facile tot annorum chiliadibus, mutuā actione qualitatum primarum secundum aliquam etiam notabilem sui partem fuisse dissolutum: qua ramen non est hic animus pluribus premere. Plura aff. seq.

36 Assertio II. Sententia illa Aristotelis & Peripateticorum, quod cœlorum materia prima, sit alterius, ac plane diuersæ rationis à materia sublunari, non solum scripturæ ac fiduci non aduersatur, sed est potius eidem scripture admodum conformis. Hæc assertio est contra Dionysium Carthusianum, & alios quoddam recentiores pro prima sententia citatos, qui censent, eam sententiam Aristotelis scripture aduersari; cum interim authores pro præcedenti sententia, non solum huic assertione libenter astipulentur, sed plerique etiam et ipsa diuersam vtrorumque materiam adstruant.

Probatur facile ex dictis. Si enim Scriptura aduersaretur, id propterea fieret, quia scripture cœlos ex aqua elementari, aut alio elemento productos attestaretur; sed hoc verum non est, vt ex præcedenti assertione constat. Ergo, &c. Ex aduerso autem scripture huic sententia Peripateticorum non parum faverit: tum quia cœlos omnes quoad substantiam, non ex vlla præsupposita materia, nedum sublunari productos, sed ex nihilo creatos asserit: tum quia vbique cœlum contra terram ac sublunaria omnia velut excellentius quiddam condistinguit: tum denique quia cœlos naturā suā incorruptibiles esse indicat, vt dicetur quest. 5.

37 Ad argumenta contraria ita Respondeatur. Ad primum prima sententia dico, calorem tribui soli, non qui in ipso formaliter insit, sed qui ab eo effectiue mediante luce procedat. Hic enim est, à quo se absconde nemo potest, & quem sustinere vix possunt homines; quique exurere non aequaliter terras solet, vt scripture loquitur.

Ad secundum Respondeatur. Splendorem & lucem esse proprietatem seu conditionem non tam ignis (purus enim non lucet) quam aetheras & cœli. Scintillatio autem illa astrorum, non ex flammarum agitatione prouenit: alioquin sol & luna, quæ ad aspectum maiora-

sunt reliquis astris, magis scintillare viderentur; sed partim ex luminis exilitate respectu tanta distantiæ, partim ex imbecillitate visus nostri, promouente phænomenon istud non nihil etiam vaporum interuenientium volubilitate...

38

Ad argumenta secunda sententia respondeatur. Ad primum, puritatem & perspicuitatem esse communem ijs etiam rebus conditionem, quæ minime sunt aqueæ naturæ, vt videre est in vitro, adamante, & ex veriori, etiam crystallo, quæ si ex aqua esset compacta, igne vtique liqueceret; vt recte etiam notauit Guilielmus Parisiensis lib. de vniuersitate parte 1. c. 38. 39.

Ad secundum, prætermissa opinione eorum, qui dicunt, nomine firmamenti secundo die producti intelligi aerem nebulosum, quod quæstione octava refellitur; Respondeatur, primo die ex nihilo productum fuisse, non solum cœlum, Empyreum, terram, & aquam, vt vult Molina, sed etiam omnes cœlos, omniaque elementa, quoad substantiam, vt dictum quæstione præcedente, & ipse Sanctus Thomas etiam 1. part. qu. 68. articulo 3. speciatim de aere probat: [Considerandum est, inquit, quod Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati descendens, illa solum eis proposuit, quæ manifeste sensu apparent. Omnes autem quantumcumque rudes terram & aquam esse corpora sensu deprehendunt. Aëris autem non percipitur ab omnibus esse corpus, in tantum, quod etiam quidam Philosophi dixerunt, nihil esse; plenum aëre vacuum nominantes. Et ideo Moyses de aqua & terra mentionem facit expressam, aërem autem non expresse nominat, ne rudibus quiddam ignoratum proponeret. Ut tamen capacibus veritatem exprimeret, dat locum intelligendi aërem; significans ipsum quasi aquæ annexum, cum dicit, quod tenebrae erant super faciem abyssi. Per quod datur intelligi, super faciem aquæ esse aliquod corpus diaphanum, quod est subiectum lucis & tenebrarum.] Ita Sanctus Thomas. Dicimus ergo in spatio intermedio inter cœlum, Empyreum & terram, intercessisse statim ab ipso diei primi primordio, non solum aquas elementares, vt existimauit Molina, & ante eum Iulianus & Steuchus, sed etiam substantiam celestium corporum inferiorum, simulque elementorum ignis & aëris: ipsum autem firmamentum secundo die productum, aquas inferiores à superioribus diuisisse, quia cum antea aquæ superiores (quales quales essent) ab inferioribus nullo solido, fixo, & immobili essent termino distinguitæ, iam secundo die per substantiam firmamenti, solido labore, instar crystalli, duratam & compactam, fuerunt solide & immobiliter diuisæ.

39

Dices, ipsam voculam Diuisionis significare, aquas illas superiores & inferiores, ante diuisionem fuisse coniunctas, vel contiguas, postea vero primum separatas.

Responderi potest primo, negando assumptum; quia non est necesse, vt vocula dividere ita stricte accipiatur, pro diuisionem efficere, inter ea, quæ prius coniuncta essent; cum ibi

dem Genes. i. vers. 4. & 14. lux & sydera dicantur tenebras & lucem dividere, quæ antea tamen coniuncta non erant: sed generatim significat, esse terminum determinantem inter duo, vel etiam conditum respectu alterius. Quod optime etiam notauit Sanctus Thomas i. part. citat. quæstio. 68. articulo 3. ad secundum, vbi ait, si accipiantur aquæ diversa secundum speciem (vtrum censem illi faciendum, si firmamentum non pro aëre nebuloso & vaporoso accipiatur.) firmamentum dicitur dividere aquas ab aquis, non sicut causa faciens divisionem, sed sicut terminus utrariumque aquarum. Sed quia nos hac responsione, non egemus;

40 Respondeo secundo; & concedo, aquas superiores & inferiores (eo communis nomine, ita vocatas, quod corpus aliquod diaphanum ac liquidum esset, iuxta Sanctum Thomam citat. quæst. 68. art. 3. & ea quæ dicentur quæst. 8.) ante fuisse coniunctas & contiguas, cœlumque ipsum & firmamentum ex aquis superioribus (hoc est cœlesti & ætherea substantia adhuc fluida) condensatione & consolidatione factum, ut superius insinuauimus; hinc tamen non sequitur, aut via ratione probatur, aquas illas superiores, ex quibus productum fuit firmamentum, fuisse elementares; cum verius existimem, cum Sancto Thoma loc. citat. ad primum, aquas illas, quæ supra cœlum sunt, elementares non esse, ut cit. quæst. 8. dicetur.

41 Id quod recte etiam docet Albertus, qui etiamnum inter. spheras cœlestes liquidum eiusmodi corpus eiusdem cum cœlis natura interfusum esse docet. Cum enim lib. de coevis apud Dionysium Carchusianum in 2. distinct. 15. quæstion. 1. veterum quorundam Philosophorum sententiam restulisset, dicentium, [quod spherae non contingunt, & quod corpus eiusdem naturæ est inter eas diuisibile] quidem à spherae, non tamen transmutable in aliam formam; idem eandem sententiam secessus in 2. distinct. 15. ait: [Præterea si queratur, an spherae celestes se inuicem immediatè contingant; dicendum, quod ad hoc nil potest verius responderi, quam quod etiam responderunt Philosophi; utpote quod sphera celestes non se contingunt; sed una multum super aliam exaltatur, & in medio eorum est corpus spirituale, sicut aë, in quo omnes mouentur, &c.]

42 Ad authoritatem SS. Patrum, quorum aliqui dixerunt, cœlos esse naturæ ignæ, seu constare ex materia ignæ; alij esse naturæ aquæ; Respondetur cum Sancto Thoma lib. 2. sentent. distinct. 14. art. 2. his verbis: *Expositores sacræ scripturae in hoc diversificati sunt, secundum quod diversorum Philosophorum sectatores fuerunt, à quibus in philosophicis eruditissimi sunt.* Basilius enim (cuius verba tamen superius pro nostra sententia posteriore loco citata non vidit Sanctus Thomas) & Augustinus, & plures sanctorum sequuntur in philosophicis, que ad fidem non spectant, opiniones Platoni, & ideo ponunt cœlum de natura elementorum: Dionysius autem (Areopagita quæstione quinta citandus) fere ubique sequitur Aristotelem, ut patet diligenter inspicientibus

43 eius, unde ipse separat corpora cœlestia ab alijs corporibus. Et rursus ibidem ad primum: *Alij sancti, inquit, tradiderunt cœlum videlicet esse naturæ ignæ vel aquæ non quasi afferentes (ex suamente...) sed sicut ventes his, quæ in Philosophia dicuntur; unde non sunt maioris autoritatis, quam dicta Philosophorum, quo sequuntur, &c. Vel potest dici, quod sumunt ignem & aquam secundum similitudinem & lucis diaphanitatem.* Ita Sanctus Doctor.

44 Cuius responsum optimè confirmant illa, quæ Gregorius Nyssenus initio sui libri in Hexaemeron prefatus est: *Neque enim, inquit, propositum defendere, aut dogma constitutum profitemur, ut caliginosius occasionem præbeamus; nec hīc scriptis interpretationis doctrinam tradere, sed animum & cogitationem nostram in hoc argumento duntaxat exercere.*

Certe quidem uti Basilius homil. 3. in Genes. deridet eorum opinionem, qui dixerunt cœlum fuisse ex aquis productum; afferens, esse nūnquam puerile, nūnquam simplicis mentis, arbitrari, cœlum fuisse ex aqua concretum: Ita Aristoteles lib. 2. meteor, ridet Stoicos, afferentes, esse naturæ ignæ, dicentes, puerilem esse opinionem, nec dignam Philosopho, dicere, solem pasci humoribus terrenis & aqueis in sublime ad ipsum attrahitis.

Contra quos etiam Perierius lib. 2. in Genes. q. 9. ait: *astra per se nec esse calida, nec ignæ naturæ, multæ nec dubijs rationibus conclusimæfæ sapientibus. Accedit, quod idem Basilius homil. 1. Hexaem., censet, de natura colorum non magno pere laborandum Ecclesiasticis scriptoribus.*

Ad fundamentum tertiarum sententiarum, Respondeo cum Tychone citat. epist. ad Rottmann. 1589. 21. Febr. *Nam licet, inquit, concedatur, nullam amaduere refractionem in sole vel stellari, in data aliqua sublimitate, inde quadem satis sequitur, diaphanorum vel nullam, vel imperceptibilem esse discrepantiam; sed non ob id necessario inferatur, utrinqueque diaphani eandem propria qualitatem & substantiam existere: possunt enim diversæ substantiae & qualitates eidem diaphanitati patere.* Dabo exemplum è rebus inferioribus quæ manibus tractari, & visu discerni possunt. *Si aquam pluviam, vel nivalern præseruum, aut etiam communem fontanam, per se ipsam reiteratam elevationem defecatisimam reddiderimus, idemque in vino quoque generosum fiat, donec ab omni phlegmate & impuritate liberentur, amboque hi liquores consimili crystallino excipiuntur, utique diaphaneitas unius non discrepabit ab altera; quantum vallis scilicet dignoscere licet, ideoq; refractionem, si qua forte hinc fierent, nulla erit differentia: atem substantia & natura unius liquoris atque corporis diversissima ab altera inuenietur.* Id enim quod in uno elicimus est, igneam & sulphuream reddebit qualitatem, adeo ut incensum totum flammis absorbeat, nullo post se reliquo vestigio. *Quod vero ex aqua constat, aquam permanebit, & tantum abeat, ut ardeat, ut ignem cuius citius quam antea extinguit, illig; ut contraria resistat.* Sic quoq; cœli & aëris diaphanitates, si vel prouersus eadem forent, quod tamen nondum satis obtinuimus, nihilominus diversam substantiam atq; materiam habere nihil impedit, &c. Neq; cometarū generatione atq; explicatione ullum, ut in existimas, fert subsidium,

sicca-

si cœlum aërum statuatur: imo hoc potius quadraret, si Paracelso igneum id esse concederemus. Nam cometæ non aëream, sed igneum potius quandam naturam præferunt. Quod enim tu è fumositatibus terrenis, etiam in aërem altissimum, quem intra ipsas resolutiores fidetur conineri vis, sublatiss., & illuc illuminatis, cometarum procreationem saluari posse existimas, ex una absurditate, & incongrua assumptione alteram stabilire incassum laboras, &c. Ita Tycho.

Quæres, quam certa sit hæc doctrina, de materia cœlorum. Respondet, cœlos & elementa non ex præexistente materia villa fuisse creatæ, tam certum est, quam cœlos omnes quoad substantiam, cum elementis omnibus, primo statim die ex nihilo à Deo fuisse creatos; quod licet non sit undeque certum & exploratum; sat istamē firmiter ex scriptura probauimus dub. 2. Quod autem cœlum sydereum non constet natura vel materia elementari, probabilis solum est, non certū. Tamen si enim nulla ex scripturis suspectat ratio asservandi, cœlū ex materia, seu natura elementari constare, tamen nec ex scriptura, alioue vlo arguento, id ipsum firmiter refelli potest. Denique quod cœlum habeat materiam, plane à rebus sublunaribus diuersam, sub opinione solum adhuc versat; quanquam ei Peripateticorum sententia non parum fauet scriptura, ut dictum; tantum abest, vt aduersetur.

D V B I V M V.

An cœlum sit animatum.

S. Thom. I. p. q. 70. a. 3.

Habemus ex dictis dub. præcedente, cœlum esse corpus, & quidem simplex, atque ex nullo alio constitutum, sequitur, vt inquiramus, an sit animatum seu viuens: Et præponimus hanc quæstionem sequenti, de incorruptibilitate cœlorum. Nam si cœlos incorruptibilis statuamus, vix potest esse locus huic quæstioni, an cœlum sit animatum: cum omne corpus animatum, quia vegetatiuum est, corruptioni sit obnoxium; è contrario vero si inanime sit, non minus possit esse corruptibile, quam incorruptibile.

Nec de Aristotelis sententia hic disputamus, quem aliqui sibi persuadent, sensisse prorsus, cœlum esse animatum, & quidem prædignum anima rationali sive intelligentiæ, vt colligi videtur, ex eius lib. 2. de cœlo text. 13. & 61. & lib. 2. Metaph. text. 35. Atque hoc sane modo Aristotelem intelligit S. Thomas lib. 2. contra Gentiles c. 50. & in qq. disp. quest. de anima art. 8. ad tertium, & ex recentioribus Vasquez 1. part. quæstion. 183. post Simplicium, Philoponum, & alios; licet complures, in quibus ipse etiam S. Thomas 1. p. q. 70. a. 3. Aristotelem interpretentur de intelligentia non informant, sed assistente, ex 1. Phys. & l. 12. Metaph. quod Philosophis discutendum relinquimus.

Omissum igitur Aristotele, cœlos, aut sane sidera animata esse, docuerunt plerique Philosophi veteres; speciatim Pythagorai, Platonici, & plerique Aristotelici, ac Plato ipse in Epinomide, iubet, astra vt Deos coelestes colli & honorari; de quibus plura Eusebius de præparatione Euangelica lib. 1. c. 6. & Plutarchus lib. 1. de plac. Phil. cap. 17. & 23. Sed & Philo lib. de opificio mundi, item lib. de Somnijs, & rursum lib. de Gigantibus stellas & viuentes, & intelligentes esse docet. Idem docet Plinius libro 2. hist. nat. capit. 8. Adhac Auicenna cœlo, etiam Phantasiam sive sensum interiorem tribuit; cui Simplicius tres quoque sensus exteriores, tactum videlicet, visum, & auditum superaddit.

Ex Christianis vero (præter Marsilium Ficinum argumen. 10. dial. de leg. & Carpentario cap. 12. Platonicos.) Origenes tom. 1. comment. in Ioannem & lib. 1. peri archon capit. 7. stellas non solum docuit esse animatas, sed etiam virtutis & vitij capaces; Christumque proinde non solum pro peccatis hominum, sed etiam astrorum esse mortuum. Dubius olim de eadem re fuit Sanctus Augustinus lib. 2. de Genes. ad literam cap. 18. & in Enchiridio cap. 58. & lib. 1. Retractionum cap. 5. & 11. Quamuis enim lib. de immortalitate animæ capit. 15. & lib. 6. de Musica capit. 4. absolute pronunciarerit, ipsum etiam mundum esse animatum, & magnum quoddam animal, tamen hoc ipsum postea saltem velut incertum retrahit loc. cit. & alibi lib. 13. de ciuitate Dei cap. 16. contrarium indicat: vt & author libri de cognitione veræ vita cap. 6. tom. 9. operum Augustini, (cum tamen ipsius liber ille non sit) Platonis illara sententiam proflus damaat. Quia de causa etiam Bonaventura inferius censes, Augustinus retractasse eam sententiam, de cœlis animatis. Sed & Hieronymi sententia, hac in re perplexa esse videtur, vt fusè persequitur Ascanius Martinengus com. 2. in Genes. pag. 883. tamen si denique eam Origenis opinionem coarguat in epistolis ad Pammachium & Auitum.

Post hos eandem Platonicorum sententiam, cœlos nimurum & astra animata esse, probabilem existimauit è Scholasticis etiam Aureolus in 2. d. 14. quest. 2. art. 2. & quæstion. 3. articulo vnic. & apud Capreolum eadem distinct. fauentque eidem sententia non nihil Scotus 2. sentent. distinct. 14. quest. 1. & Caetanus in psalm. 135. Sed & Sanctus Thomas olim ambigue aut inconstantiter hac de re locutus ast. Animatum enim, esse cœlum, & quidem anima intelligentiæ, sancta, & omnis peccati ex diuina prædestinatio experte, quæ proinde etiam ad societatem Angelorum pertineat, affirmare videretur, qq. disputat. quest. de Anima art. 8. præcipue resp. ad 3. 4. & 5. & lib. 2. contra Gentiles capit. 70. & in opificulo de Angelis capit. 2. Negat autem, ac priorem adeo sententiam (quod optime notauit Caetanus 1. part. quest. 70. art. 3. & aperte constat ex his verbis Sancti Thomæ, quicquid

nonnulli dixerint) retrahat idem Sanctus Thomas 1. p. quest. 70. art. 3. Quia de causa etiam utramque partem probabiliter defendi posse, existimat Ferrariensis cit. cap. 70. cont. gent. De eadem re dubius est etiam Dionysius Carthusianus in 2. d. 14. q. 4.

Denique ex recentioribus Martinengus, in Genes. tom. 2. pag. 889. & sequenti, tametsi quidem Aucennæ & Simplicij sententiam, quæ astra sensilia affirmit, expliendam prosuas & rejeciendam pronunciet, Origenis vero, animas cœlorū ante mundum creatas, & adhuc peccabiles afferentes, merito damnet; de cætero tamen existimat, quæstionem hanc, num astra sint anima rationali prædicta, neene, problema esse, neutrūm in via patrum, neutrāmque partem ab Ecclesia dāmmatam; idque etiam pag. 1018. absolute vocat, problema. Ac in eandem sententiam pag. 885. citat quoque Praeceptorem suum Vielium lect. 19. in Genes. Atque eo inclinant quoque nonnulli huius temporis Astrologi, ut astra animata esse existimant.

Expresse vero & absolute post Iulium Firmicum lib. 1. Met. cap. 3. Bellantium, aliosque apud Alexandrum de Angelis lib. 1. in Astrol. cap. 13. id docet Tycho Brahe epist ad Rottmannum. Anno 1590. 18. April. data, vbi ait: Verum hoc in celestib[us] cœlesti quodam, & longe viuaciore exquisitorum modo euemunt, quā in animalibus terrestribus vel aquoreis: cū & calum animatum esse, ipsaq[ue] cœlestia corpora animantia quædam cœli, vitali spiritu prædicta, non abs re sensisse videatur diuina illa platonicorum Philosophia.

Cæterum cœlos, siue astra animata non esse, communis est SS. Patrum doctrina, quam exprefse tradunt Basilius in Hexaem. homil. 3. Ambrosius lib. 2. cap. 4. Psellus ex Gregorio Nazianzeno orat. 38. & 42. Cyrillus lib. 1. contra Julianum, Lactantius lib. 2. diuinarum institutionum cap. 5. & 8. Chrysostomus hom. in Psal. 4. Procopius Cōment, in Genes. Optime Damascenus lib. 2. fid. Orth. cap. 6. Nullus, inquit, cœlos, aut spheræ animata esse existimet: anima quippe ac sensu carent. Eadem est communis Scholasticorum sententia apud Bonaventuram lib. 2. senient. dist. 14. omniumque, ferè recentiorum, speciatim Catharini in capit. 1. Genes. Pererij lib. 2. in Genes. q. 7. &c. Ex Philosophis idem sensit olim Anaxagoras, qui & propter eandem sententiam, accusante Cleonam, supplicio affectus fuit, teste Theodoreto lib. de materia & mundo.

Affirmatio I. Cœlum esse animatum, anima dunatax vegetativa, aut sensitiva dogma quidem est in Philosophia absurdum; sed fidei contrarium, non videtur. Prima pars est communis sanctorum Patrum & Scholasticorum; nam etiam qui ex ipsius animam ei olim tribuere visi sunt, non vegetativa aut sensitivam, sed rationalem tribuerunt. Ratio est; tum quia cœlum est corpus simplex & similare, adeoque expers organorum ad vitæ munia obeunda necessariorū; tum quia nulla cœlo astrisque conuenit nutritio, nullumque alimentum; sine quo tamen nec augmentatio, nec generatio animistica, nec vita adeo vita actione vegetativa esse potest: sed nec sensitiva, quia

hec illam supponit. Et certe si tam vastum animal, quantum cœlum est, aut tam magnus animalium gressus, quantus est stellarum numerus, nutritur, brevi tempore totam reliquam mundi machinam, quam cœlum iam aurea quodammodo in ventre seu sinu gerit, absumeret.

Ratio secunda partis; quam itidem à nemine video negari, est, quia contrarium nec in scriptura sacra continetur, nec ex certa aliqua fidei traditione colligitur, nec ab Ecclesia vspiam definitum est, vt magis patebit ex probationibus conclusiois sequentis, quæ animam quidem rationalem seu intelligentem cœli valide euentur; sed non ita vegetatiuam aut sentientem. Accedit, quod hoc quæsumus parum ad Religionē faciat, sintne cœli, aut astra, prædicta anima solum vegetatiuam, aut sentientem.

Affirmatio II. Cœlum esse animatum anima rationali, siue intelligenti, erroneum in fide dogma est. Ita expresse docet & cenfet S. Bonaventura cit. d. 14. part. 1. a. 3. q. 2. vbi ait: Quidam Philosophi posuisse videntur, quid cœli haberent animas, & quod cœlum est magnum animal, & quod moueretur a propria forma perfectiva, sicut mouetur animal; & hanc animam motricem posuerunt regi & dirigi à Deo, mediante intelligentia. Sed hoc positio falsa est & erronea. Idem sentunt Capreolus 2. distinct. 9. quest. 1. art. 1. & Gabriel in 2. dist. 14. quest. 1. Catharinus in cap. 1. Genes. & Pererij cit. lib. 2. in Genes. questio. 7. Eodemque modo cenfet Petrus Tarantulus apud Dionysium Carthusianum in 2. dist. 14. quest. 4. dum ait. Alij posuerunt, quod (cœlum) mouetur ab anima, dicentes corpora cœlestia animata, & animas eorum mouere ea; ut assimilentur intelligenti in productione inferiorum. Sed hoc propositio ex his erroneis; quoniam corpora cœlestia non sunt animata, cum non sint corpora organica, &c. Neque crediderunt, eam sententiam hodie ab S. Inquisitionis Praesidibus Romæ velut omni erroris suspicione carentem liberam esse permissem.

Probatur affermatio primo ex scriptura. Nam cap. 1. Genes. non solum catalogus rerum creatarum proponit, sed simul etiam ostenditur, quæ cuiusque creature sit ratio, quod minus, quis finis: & tamen ibi nihil vspiam de vita aut vitali actione, seu natura intelligenti cœli, aut astrorum legitur: Etenim versu 1. creasse dicitur Deus cœlum & terram, tanquam principia scilicet ac fundamenta totius mundi. Ver. 6. & 7. productum dicitur firmamentum, ut dividat aquas ab auras. Ver. 16. Icclisie De vs dicitur duo luminary & stellas, eaque posuisse in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & praescient dei nocti, & dividenter lucem ac tenebras, ac essent in signa & tempora, &c. cum tamen vers. 12. 20. & 24. vbi de plantis & animalibus productis sermo est, eorum vita, ac viriles actiones minime taceantur.

Imo in tota serie creationis operum diuinorum, nullius vspiam substantie ac corporis intelligentis sit mentio, priusquam ad hominis creationem deueniatur; cuius ea specialis excellētia specialiter profopopeiā à Deo præsignificata est, cū diceret: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem

dinem nostram: quod planè etiam prius dictum oportebat, si cœlum quoque & astra, natura intelligentiæ, Dei imaginem ac similitudinem gerent. Similiter Deuteronomij 4. v. 19. astrorum non nisi ad ministerium hominis creata dicuntur; Ne forte elevatus oculus ad cœlum, video solem & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.

¹⁴ Secundo idem probatur ex communi sensu sanctorum Patrum & Doctorum, tam veterum, quam recentiorum. Licet enim, ut vidimus, olim pauci quidam dubitarint, aut seculi sacerdotes, multò tamen plures, ac ferè omnes constanter hanc sententiam defenderunt; nonnulli etiam ex doctissimis, quod in contrarium antea disputauerat, postea retractarunt, vt dicit Augustinus, & S. Thomas dictum. Certe si quæ ex definitione Ecclesiæ afferentur, perspecta habuissent, nunquam vtiq; rem hanc in dubium vocassent.

¹⁵ Tertio proinde idem probatur ex definitione Ecclesiæ. Nam in synodo Constantinopolitana secunda, quæ dici solet quinta synodus generalis, inter alios errores Origenis, etiam damnatus reperitur, apud Nicephorū lib. 17. cap. 28. Si quis dicit, cœlum & solem, & lunam & stellas, & aquas quæ supra cœlos sunt, animales quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit. Siue ut alij referunt: si quis dicit, cœlum, lunam, stellas animantes quasdam esse seu animales virtutes, anathema sit. Idem testatur Iouerius in summa concilii Synodo Constantinopoli per virtutes animales, seu materiales, videntur intelligi substantia corporeæ intelligentes, cum tamen diuerso modo Angeli in scriptura, & ab Ecclesiæ virtutes dicantur. Et cap. 27. apud eundem Nicephorū inter alios Origenis errores in quinta synodo damnatos, refertur etiam iste: Adhac cœlum, solem, lunam, stellas, & aquas, quæ supra cœlos sunt, animatas & rationales quasdam virtutes esse. Sed & in noua editione Romana eiusdem synodi sub finem, per modum appendicis, refertur Epistola Iustiniani Imp. ad Mennam, in qua sub finem contra Origenem hic anathematism n. 6. legitur: Si quis dicit, cœlum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cœlos sunt, animatas & materiales esse quasdam virtutes, anathema sit: Eiusdemque epistola meminit Liberatus in Breuiario cap. 23. Et cum simul testetur, eandem postea approbatam fuisse à Vigilio Pontifice, non video, quia ratione etiam hodie ea sententia tuto defendi possit. Certe quæ ad damnationem Origenis pertinent, in editis Actis V. Synodi desiderari, notauit etiam Baroniū Anno 553.

¹⁶ Et ne quis existimet, id dogma damnari solum eo sensu, quod Origenes eiusmodi animas ante cœlum productas, ac postea primum cum astris fuisse copulatas dixerit; aduerendum est apud eundem Nicephorū, eodem cap. 27. hunc errorem Origenis, distinctè ac separatim ab alijs commemorari: Ante corpus ipsum anima est, quæ quidam in cœlis peccata commisit. Et per se notum est, cum aliqua propositione damnatur, eam vti iacet, in proprio verborum sensu accipientiam esse. Non ergo recte absolute dicitur, sententiam illam

de cœlis seu astris animatis, *nequam ab Ecclesiæ damnata esse*: esto fortasse res hæc, cum vnius Niciphorii & Liberati testimonio nitatur, necdum plane sit explorata & liquida. Accedit, quod in cap. Firmiter de sum. Trinit. & fid. Cathol. inter rationales creaturas, Angeli solum, & homines referuntur.

¹⁷ Quarto probatur ratione Theologica. Nam si cœli sive astra essent praedita anima rationali, seu intelligentiæ, tum ipsorum animæ aut essent in gratia, aut extra gratiam. Neutrū potest dici. Non primum; tum quia si in gratia essent, possent utique à nobis etiam coli aliquo cultu sacro seu religioso, qualis hominibus sanctis conuenit; hoc autem prorsus est illicitum, vt patet ex citato loco Deuteronomij 4. v. 19. & rursum c. 17. v. 2. vbi dicitur; [Cum repertifuerint apud te intravnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciunt malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediuntur pactum illius, vt vadant & seruant dijs alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non pracepi, & hoc tibi fuerit iuritatum, accedensque inquisitio diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulieram, qui rem sceleratissimam perpetrarunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruerunt.]

¹⁸ idem patet ex vsu ac sensu Ecclesiæ, quæ nunquam permisit, eiusmodi cultum astris deferri. Tum quia si stellarum animæ in gratia essent, aut beatæ iam essent, & tunc multo magis coli possent & inuocari, velut alij sancti: aut in via; & sic tam peccati, quam damnationis periculo forent obnoxiae; quod tamen non potest asseri, vt mox dicetur.

¹⁹ Nam nec secundum illud dici potest, eas nimur animas esse extra gratiam, ac in statu peccati; quia vel damnata iam forent; quod est absurdum, cum suas adhuc beneficas ac honorificas functiones in fulgido splendentique corpore erga mortales obeant, neque adeo loco damnatorum adhuc addicti sint: vel saltem possent damnari; quo autem quælo loco damnationis poenas, quæ condicione soluent? An cœli in infernum detrudentur, vt ibi cum spiritibus alijsque damnatis poenas exoluant? quando, saltem post extreum iudicium, ille solus erit locus damnatorum, vt ex Matth. 25. v. 41. colligitur. Dicere autem, locum beatitudinis, aut damnationis cœlorū, etiæ esse posse extra cœlū Empyreum, aut infernū, non bene admodum sonat: quando hic etiā vnuis quidam error Nouatorum nostri temporis est, cœlum & infernum esse vbique, nec dari adeo certum beatitudinis ac damnationis locum.

²⁰ Denique cum cœli & astra careant anima vegetativa & sensitiva, necessario etiam destituntur anima rationali seu intelligentiæ; vt pote quæ in corpore esse non potest sine vita vegetativa & sensitiva; quæ seposita, nulla ratio est, cur anima rationalis corpus informet, quando ad intelligendum vel mouendum, per se corpora non indiget, vt recte etiam argumentatur sanctus Thomas i.p. loc. cit.

21 Neque vero opposita sententia yllum habet fundamentum. Quæ enim de cœlis Deum laudantibus; deque iniuratis ad audiendum, in scripturis dicuntur, ad propositopociam pertinet; vt & alia quam plurima eiusdem generis, quæ de terra, igne, grandine, niue, alijsue creaturis inanimatis in ijsdem scripturis sèpius leguntur. Quo spectat etiam illud Job 38. v. 7. Cum me laudarent simul astra matutina: nisi forsan hoc ad Angelos potius spectare videatur, vt quidam sentiunt. Cum tamen de Angelis, sub nomine filiorum Dei, postea pri-
mum fiat ibidem mentio.

22 Illud Baruch. 6. v. 59. Sol quidem & luna ac syde-
ra, cum sint splendida, & emissa ad viles, obaudient,
intelligendum est de obedientia materiali, seu
executione eorum munerum, ad quæ, siue à Deo,
siue ab ipsa natura destinata fuerit; non secus,
quam quod ibidem dicitur v. 61. Et nubes, quibus
cum imperatum fuerit à Deo, perambulare in universum
orbem, perficiunt quod imperatum est. Et rursus
v. 62. Igitur etiam missus de super, ut consumat montes &
flosas, facit quod præceptum est ei. Et psalm. 148.
versu 8. dicitur: Igitur, grande, nix, glacies, spissus
procellarum, quæ faciunt verbum eius. Denique
ipse etiam astrorum chorus quandoque militia
cœli vocatur in scriptura Deut. 17. versu. 3. 4.
Reg. 17. vers. 16. & cap. 21. vers. 3. & 5. & cap.
23. vers. 4. & 5. Actor. 7. vers. 42. quia ad nut-
rum DEI præsto adest, ac sepe operationibus
suis contra hostes DEI mirabiliter pugnat,
&c.

23 Quares, et si astra quidem perse non sint animatae.
anne tamen ab hominibus mortalē naturāque
vitam viuentibus incolantur, eo modo, quo apud Ciceronem lib. 4. qq. Academicarum Xenophanes olim affirmauit, habitari in luna, eamque esse
terram multarum urbium & montium. Et sane qui-
dem non desunt hac temestate ex astronomicis non
nulli, quibus hoc videatur esse persuasum.

24 Verum ut breuiter dicam, quod sentio, plane
existimo, id sine temeritate dici non posse, non
solum quia nullum est eius tam nouæ & insolentis
assertionis fundamentum; sed etiam quia
multa sunt in scriptura ac fide nostra, cum
quibus ea opinatio non bene coharet. Nam
I. Genes. 1. vers. 6. & 17 longe aliud munus &
officium cœlis & astris à DEO assignatur,
quam ut sint mortalium hominum sedes ut dic-
tum.

II. Genes. 1. vers. 28. & cap. 2. v. 7. & capit. 3.
v. 23. legimus, hominem productum super ter-
ram, & de limo terræ, ac positum in paradiso &
ex eo postea eiectum, atque ad colendam terram
destinatum, sicque ex eo totum genus humanum
propagatum: in aliis vero hominem fuisset
aut primo creatum, aut deinceps positum, ruf-
quam legimus.

III. Deuteronomij 4. v. 19. astra dicuntur
fuisset creata in ministerium cunctis gentibus, que
sub cœlo sunt. Quod si etiam in iplis aliis sunt
nouæ quædam ac peregrinæ gentes, non his
tantum quæ sub cœlo sunt, sed illis utique etiam,
ac multo magis quidem, in ministerium crea-
tum debebant.

IV. Psal. 113. v. 16. Sola terra hominum ha-
bitationi assignatur, Cœlum cœli Domino, terram an-
tem dedit filii hominum.

V. Christus Salvator est omnium hominum, 1. ad Timoth. 4. vers. 20. qui omnes homines vult salu-
s fieri, 1. Timoth. 2. vers. 4. nunquid etiam eos,
qui astra inhabitant? At quos illi Apostolos
ac prædicatores fidei habuerunt? Quod Bat-
ptismi & Sacramentorum ministerium, sine
quo, iuxta ordinariam DEI legem, non est
salus?

VI. Actorum 17. v. 26. perspicue ait Apostolus,
Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super
universam faciem terre.

VII. Vna est Ecclesia, in qua etiam sanctorum
est communio, ex Symbolo Apostolorum; quæ au-
tem est communio cum ignotis illis astrorum seu
lunæ incolis? Omitto alia. Dixi tamen mortales
naturalē vitam degentes illic nullos esse: quia an-
foste Enoch & Elias, ab hoc mundo translati, di-
uino miraculo illic conseruentur, vitamque ag-
ant, non est huius loci disputare. Contentiunt
his ea, quæ ad Annūm Christi 748. referuntur
apud Baroniu, ubi error appellatur, Virgilio Pres-
bytero falso attributus quod alius sit mundus, & alij
homines sub terra sint, alius sol & luna. Et in margine
dicitur: Plures statuisse mundas, diuina repugnat scri-
piuntur; ac proinde heresis esse convincitur.

D V B I V M VI.

An cœlum sit corpus natura sua generabile & corruptibile?

S. Thom. 1. p. q. 66. a. 2.

Cœlum corpus esse natura sua generabile &
corruptibile, omnium Philosophorum, Ari-
stotele excepto, communis fuit sententia, speci-
atim Platoni, Heracliti, Empedoclis, Anaxagore,
Democriti, Stoicorum omnium & Epicureorum,
qui etiæ excepto Platone, cœlum quandoq; re ipsa
interitum dixerunt. Eadem videatur fuisse plu-
rium SS. Patrum sententia, qui non tantum do-
cuerunt, cœlos aliquando diuina vi post extremū
iudicij diem corrumpendos, ut scripturas varijs
in locis testari quæst. 11. videbimus; sed simili eti-
am significant, eos natura sua esse corruptibiles;
hoc ipso, quod vna cum plerisq; Philosophis do-
cuerunt, cœlos esse naturæ Elementaris, adeoq;
ex elementis uno pluribusue constare, ut dictum
quæstione 3. Quæ de causa etiam nonnulli aquas
supra cœlos collocatas fuissent dixerunt, ut orum
incolumitatit tantisper esset consultum, ut dice-
tur q. 8.

Eandem sententiam indicat Magister in 2. dist.
14. & Dionysius Carthusianus in 2. dist. 14. q.
2. & aperte tradunt è recentioribus Catharinus
in Heb. 1. & in 2. Pet. 3. Hieronymus Magius
lib. 2. de exust. mundi, Franciscus Valelius lib.
de Phil. fac. cap. 89 Alphonsus Salmeron tomo
1. proleg. vltim. in 2. Pet. cap. 3. disputatione 4.
& Martinus de Rio in cap. 1. Genes. & quidam
aliij; non autem, ut putarunt nonnulli, omnes
illi, qui dixerunt, cœlum ex aquis aut elementis
produ-

productum; vt de Molina inferius dicitur: quia fieri potest, vt cœlum ex aliquo elemento, seu materia elementari putetur factum, & tamē corruptibile sua natura non dicatur. Eadem sententia fauet Ascanius Martinengus, tom. I. in Genes. pag. 476. 605. 666. vbi de firmamento, & aquis supra cœlos differens, et si denique fateatur, cœli naturam nobis esse incognitam, magis tamen in eam sententiam inclinat, quæ cœlos afferit natura sua corruptioni obnoxios.

³ Addunt non pauci Sancti Patres, immortalitatem, & incorruptibilitatem nulli rei cœtaræ ex sua natura, sed solum ex dono & gratia Dei & i. competere; qua de causa etiam Angelos per se ac sua natura, mortales & corruptibles esse, quidam videntur existimasse. In quem sensum Damascenus libro secundo Fid. Orthodox. capite tertio *Immortalis*, inquit, *Angelus est non natura, sed gratia; nam omne quod caput, est deinde suape natura potest.* Sed de hac re iam actum superiorius disputatio. 5. question. 1. dub. 3. vbi ostendimus, Angelos corruptibles dici, non per respectum ad potentiam naturali-lem aut creatam, sed solum per respectum ad potentiā diuinam.

⁴ E contrario vero Aristoteles lib. I. de celo capit. 3. & lib. 2. capit. 1. & in lib. de mundo ad Alex. si tamen eius est hoc opus, quia docuit, cœlum non esse natura elementaris, sed quintæ cuiusdam essentiae, consequenter etiam afferit, cœlum esse natura sua ingenerabile & incorruptibile. Eundem secuti sunt ex Sanctis Patribus Dionysius apud S. Thomam infra, & Gregorius Nyssenus lib. de hom. opif. cap. I. item Albertus Magnus p. I. de quatuor Coœviis quest. 4. art. 1. S. Thomas hic cit. quest. 66. art. 2. & in z. d. 14. quest. 2. Alensis z. p. quest. 40. Bonaventura z. d. 14. art. 1. qu. I. & 2. & tota Scholasticorum Theologorum, ac Peripateticorum schola, recentioresque adeo Scriptores Catholicci prope omnes; ipse etiam Molina I. p. q. 9. a. 2. d. 2. & reliqui citati quest. præced. pro assert. I.

⁵ Assertio I. Vtraque sententia, & quod cœlum natura sua sit corruptibile; & quod sit incorruptibile; haec tenus salua fide, ac sine erroris periculo, ac temeritatis, vñiusq; grauioris censuræ nota, etiamnum defendi potest. Videtur ex mente omnium Doctrorum: neq; enim, quod sciam, vñus est, qui suam hac de re in alterutram partem sententiam, adeo exploratam cœfusat, ut contraria dampnet, aut villa seueriori nota perstringat.

⁶ Et quamvis complures SS. Patres in eam sententiam iuuisse videantur, cœlos natura sua esse corruptibles, minime tamen significant, eam rem ad fidem pertinere, vt nec ex fidei principijs eam firmaratione deducunt; sed vt doctrinam ex philosophia Platonis, aliorumq; desumptam, partim etiam vt scripturæ aliqua ex parte consentaneam, co[muni]q; dudum iudicio comprobata tradunt: cum tamen postea non minus communi & frequenti Scholasticorum pene omnium calculo, melioribusque sane rationibus, vt dicetur, opposita Aristotelis sententia fuerit comprobata;

qui & ipsi tamen vtique suam hanc posteriorem sententiam quasi ex fide certam existimasse non putantur, neque ita etiam SS. Patres de sua sententia judicasse existimandum est, vt in similiam supra etiam q. 3. ex S. Thoma, ipsorumque Patrum confessione retulimus.

Præterquam quod non satis constat, Sanctos Patres, qui obijciuntur, adeo cœlum fecisse corruptibile, vt id simpliciter & absolute, non solum potentia diuina, vt de Angelis sensisse diximus, sed etiam vi naturali corruptibile posse existimat: certe ante finem mundi corrumpendos esse nulli eorum, quod sciam, afferuit. Quia in re à nonnullis huius temporis Astronomis, plurimum dissident; qui dum cometas, aut maculas solares, aliaque noua in cœlis phænomena conspicantur, mox indubie pronuntiant, hæc naturali generationi & corruptioni cœlestium corporum attribuenda esse; quasi iam finis mundi instet, quem cœlorum corruptioni ex scripturis destinarunt SS. Patres. Vide inter cœteros Irenæum lib. 4. ca. 6. vbi quidem docet, cœlum & terram transiitura esse: sed cœlum naturaliter corruptibile, nullo verbo indicat. Idem dico de Clemente, sive S. Petro, apud Clementem lib. 2. *Recognit: & quibusdam alijs, quia nonnullis inerito pro eadem sententia citantur.*

⁷ Assertio II Non solum secundum naturalem rationem, sed etiam secundum scripturæ ac fidei principia, multo probabilius est, cœlum esse corpus natura sua (sive ex vi formæ, sive ratione ipsius materiæ) ingenerabile & incorruptibile. Primam partem quoad rationem naturalem suppono ex Aristotele lib. I. de celo, & ex Philosophia communiter recepta; desumiturque eius probatio, tum ex perfectione mundi, cum etiam rerū gradum exposcente, qui sit substantia corporeæ incorruptibilis, cum oppositus alter gradus substantia corporeæ corruptibilis, vtq; iam in rerū natura existat; tum ex eo, quod cœlum non est natura elementaris, sed corpus simplex, quintæ cuiusdam essentiae, vt ex motu circulari, alijsque signis colligitur, de quo questione 3. tum ab experientia. Quia è tanto numero stellarum, quæ comperta haec tenus antiquoribus fuerunt, nulla tam parva fuit vñquam, quæ desideraretur; nulla ex ijs, quæ recens accedere visæ, tam magna, vt durationis constantia par æviternis illis corporibus videri posset: vt hæc, nisi miraculum interueniret, merito naturæ seu rationis ab alijs diuersæ existimantur.

⁸ Altera pars probatur. Primo, quia secundum scripturam multo verius est, cœlos omnes quoad substantiam productos fuisse simul cum terra, ac cœteris elementis, adeoque non ex vlo alio elemento, à quo corruptibilitatis defectum participaret, vt dictum q. 1. & 2. Secundo, scriptura cœlo rebusque cœlestibus, non minus quam Angelis, peculiarem quandam perennitatem attribuit, qualem elementis nunquam concedit. Psal. 148. v. 1. & sequentibus: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stella & lumen. Laudate eum*

cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini: quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribet. Vbi vides, cœlos primo generatim, deinde speciatim, quiin cœlis existunt Angelos, virtutes, solem, lunam, stellas cum lumine, cœlos quoq; cœlorum, & aquas quæ super cœlos sunt; hæc inquam omnia ita à Deo fuisse facta, vt stent in æternum, & in seculum seculi. Qua conditione, vt significet propheta, terrâ cæteraq; elementa, & que ex eis componuntur, inferiora esse, mox illa quidem seorsim, suo etiam gradu & ordine Deum collaudantia, sed absq; illa speciali prærogativa perpetuitatis ac perennitatis producit: Laudate Dominum de terra &c. Tertio sol in scriptura pponitur velut exemplar regni Christi, rei utiq; quæ corrumpi & desiccare non potest. Psal. 88. v. 38. Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternū, & testis in cœlo fidelis.

10 Alterum genus probationis pro eadem secunda parte secundæ conclusionis sumitur ab autoritate SS. Patrum, qui eandem sententiam aut aperite defendunt, aut ei non parum fauent. Primo enim communis est Patrum sententia, cœlū supremum sive Empyreū, in principio scilicet à Deo creatum, perpetuum, & incorruptibile esse; neque vero id vila ratione negari potest. Ita Clemens ex persona S. Petri l. 2. Recognitioū ait: cœlos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit; quorum unū sit superior, quo continetur visibile firmamentū: istud esse perpetuum & æternum, cum his qui habitant ibi; illud autem in consummatione seculi resplendū effe & transire, ut illud cœlum, quod est antiquum, excelsius, post iudicium, sanctis & dignis appareat.

11 Iunilius in Hexaëmero. [Ipsum enim est, inquit, cœlum superiorum, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum, diuinæ gloriæ præsentia, manet semper quietum.]

Procopius in Genesino. [Decreuerat etenim Deo duo condere opificia pulcherrima; alterum quidē mutationi, & corruptioni obnoxium, quod tamen neutiquā spirituales substantias perimere possit; & illud op̄ est, quod oculis nostris subiectū aspicimus. Alterū vero liberum & vacuū voluit esse à p̄fentis seculi malorum labore; quod quidē auspiciat⁹ est Christus, cum humana indueret naturam.]

12 Idem sentiuntilli, qui cœlum illud vocant ineligibile, spirituale, & quasi incorporeum, vt dictū q. 3. Atqui eadē est ratio firmamenti seu cœli syderei, quoad hanc conditionem: non solū quia & hoc, quantū ad substantiam, in principio, non ex vila elementari materia, sed ex nihilo creatū fuit, vt probauimus dub. 2. tametsi quidā ex citatis Patribus contrarium supponant; nec vero est corruptibile quidquā, nisi elementaris nature: sed etiam quia valde consonū ratione videtur; cœlū utrumq; empyreum inquā & sydereum, in ratione entis toto genere non differre. Imo Athanasius q. 5. ad Antiochum diserte scribit, unam esse cœlorum naturam; sicut una est hominum natura, &c.

13 Deinde incorruptibilitatem cœlorū vniuersim, ac perspicue tuetur S. Dionysius, quem etiam S. Thomas loco superi⁹ citato, in eandē sententiam

adduxit; sed nec verbis ipsius prolatis, nec loco annotato. Extat autem is locus, ad quem respxisse videtur S. Thomas, apud Dionysium de diuinis nominibus c. 4. cui⁹ verba subinde per parenthesin breui notatione illustrata sic habent: Quoniam & id, quod nobis in medio cursu orationis excederat, celestium principiorum & extremorum (quasi dicas totius substantiam coelestis) causa est summum bonum; eius (inquam) effeas ac natura (coelestem intellegit a summo bono causatum) qua nec crescere, nec minui potest, nec vila ex parte (corruptioni mutatione) mutari: atque etiam metuum (causa scilicet est summum bonum) qui sine fine, quia ita loqui oportet, in maximo cœli cursu (notandum, non astra solum moueri.) feruntur; descriptionumque stellarum, atque pulchritudinum, & luminum, firmatumque ac quarundam stellarum multiplicis motus, (Planetas intelligit) quo transferuntur, duorumque luminum, quæ magna scripta diuina appellant, ab ipsis locis ad eadem renovationis & reversionis, qua in orbem circumquæ fertur; quibus dies nostri & noctes definiti, mensaque & anni mensura comprehensi temporis, atque eorum, quæ in tempore sunt conuersiones; & definiunt, & numerant, & moderantur, & continent. Vbi manifeste vides, ex doctrina S. Dionysij, cœli substantiam, nec crescere, nec minui, nec omnino mutari posse, mutatione videlicet, vt dictum, corruptionia; nam secundum locum mutari, mox ipsem ibidem docet.

14 Idem meo iudicio aperite sensit Gregorius Nyssenus de opifice, hom. c. 1. vbi naturā cœlorū dixit esse nulli mutationi (corruptioni) subiectam Et infra: Cœlum, inquit, cum sit omnis ex corruptionis mutationis nunquam, quietum. Voluit nimis Deus cum immobili natura (terræ) mutabilitatem; contraque mutabilitatis (corruptionis) experti motum adiungere. Ita Nyssenus,

Nec dissentire videtur Iustinus Martyr de qq. à Christianis propositis ad q. vltinam, vbi ait: [Cœlum quod creatū est, à Dei voluntate habet, vt non intereat, ad vsum eorū, quæ videm⁹; quo vsu expleto, in aliud immortalitatis genus transferatur. Deus enim, qui ei corporis magnitudinem tribuit, quantā voluit, non quantā potuit; poterat enim multo maius illud efficere, quam sit; nunc ipsis in suo immortalitatis genere ac termino manere voluit ad aliud temp⁹, cū vt Christiani, qui recte sentiunt, credunt, & aduersarii fatetur, res omnes in meliore statum mutabuntur.] Habet ergo cœlū ex sententia huius S. Doctoris etiam aliquid immortalitatis seu incorruptibilitatis genus.

Sed & Plato, & ex codice Eusebii Cæsariensis. 11. de præparat. Euang. c. 17. cœlū non nisi à Deo dissolui posse indicant: [Præterea, inquit Eusebius, de conuersione & imputatione mundi aperite, & magna voce scriptura prædicante, quia complicabitur cœlū sicut liber. Et rursus, ppter enim figura seculi hui⁹ Audi, quomodo Plato erat hoc dogma comp̄bavit in Timao dicens: Constituit cœlū visibile, atq; tangibile, & ppter hæc, & ex illis, & talibus, & ex quatuor numero, mundi corpus factū est, pportione conueniens, à cæteris omnibus indissoluble, præterquā ab eo, qui colligauit. Et post pauca: Tempus igitur cum cœlo fa-

etum est, ut simul facta, simul etiam dissoluantur, si quando solutio quædam ipsorum fieri.] Et post pauca subiicit; [Quod ligatum est, solubile est; quamvis si bene aptatum beneque ligatum solvere vult, bonus non sit. Quare inquit (*Plato*) Deo attribuens verba: dij quorum ego creator ac pater sum, quoniam facti estis, immortales quidem non eritis, nec indissolubiles omnino. Non ergo dissoluemini, nec in mortem deducemini, maiore vinculo colligati.] Vbi de cœlis sermo est, quos substantias intelligentes, adeoque deos quodam, sed à summo Deo creatos Plato existimauit. Eodem modo Platonis in Timao sententiam refert Aristoteles lib. 1. de cœlo tex. 169. vbi ait: [Sunt autem quidam, quibus fieri posse videtur, & ingenerabile quipiam existens corrupti, & genitum incorruptibile perdurare, ut in Timao. Ibi enim ait Timaeus, cœlum factum quidem esse; non tamen esse corruptibile.]

Denique eam Aristotelis sententiam de incorruptibilitate cœlorum, referunt, nec admodum improbant Cyrus Alexanderinus lib. 2. contra Julianum, Basilius Hexacm. Homil. 1. Gregorius

Nyssenus sive Nemesius libro tertio Philosoph. capit. 4.

Quæ vero contra cœlorum incorruptibilitatem ex scriptura obici possunt, restante, cœlos in die iudicij corrumpendos, declarabuntur quæstion. 4. dub. 4. Hic satis est, dicere, etiam si cœli quoad substantiam corrumperi tunc forent, (quod tamen minime probatur,) non ideo consequens esse, eos naturâ suâ corruptibiles esse: cum Deus sua virtute utique etiam quæ naturas sua perpetua sunt, destruere possit.

Sed ad quid, obiciet tunc aliquis, Deus cœlos fecisset incorruptibiles, si aliquando substantialiter defruendi forent? Respondeo; ut quia aliter secundum naturam fieri non poterant, aliquando saltē tempore, quantum mundi hominumque usus depositeret, Deo servitium hoc suum imperanti non denegarent. De nouis phænonenis, quæ eidem corruptibilitati cœlorum obstat evidenter, dicetur quæstion. sequenti. Atque hæc de communib[us] proprietatibus cœlorum. Nunc de firmamento speciatim agendum.

17

QVÆSTIO III.

De opere secundæ dici, nimirum firmamento, ac soliditate cœli, itemque de aquis supra & infra firmamentum existentibus.

S. Thomas 1. p. q. 60.



Bsoluerit hæc quæstio tribus dubitationibus. I. Quæ sit ratio firmamenti, & a quærum quas diuidit. II. Sitne firmamentum adeoque cœlum solidum, an liquidum corpus. III. An soliditat[er] vel incorruptibilitati cœlorum obstant noua phenomena.

DUBIVM I.

Quid Firmamentum; & quales sint aquæ supra & infra firmamentum.

S. Thomas 1. p. q. 68. 2. 1. 2. 3.

I Firmamentum diuisionemque aquarum esse opus secundæ diei, extra controversiam est, & aperte patet ex narratione Moysis Genef. 1. v. 6. 7. & 8. Ad cuius proinde operis rationem cognoscendam, imprimis opus est, ipsius firmamentum & aquarum, quas diuidit, ratione habere perspectā.

Facit autem pariter hæc quæstio non parum ad cœlorum rationem cognoscendam; tum quia ipsum firmamentum in scriptura cœli nomine appellatur; interest ergo scire, quidnam sit illud firmamentum: tū quia du. seq. ex hoc ipso etiā nomine argumētū defunem⁹ ad soliditatē cœlorū cōprobādā, quod argumētū supponit, firmamentū esse verum aliiquid cœlum; tum quia aquæ supra cœlos non parvam cum cœlo affinitatē habent, non solum ratione loci, vel etiam continentia; sed etiam quia nonnulli ex his ipsis aquis argumen-

tum sumunt, vt probent, cœlos aut liquidos esse aut ex aqua elementari productos. Sicut autem aquæ ipsa cum firmamento coniunctionem habent, ita vicissim vnius explicatio pendet ab explicatione alterius, vt nec omnino firmamentum sine aquis, nec aquæ sine firmamento, nec sine utrisque cœlum recte possit intelligi.

Sunt autem tam de firmamento, quam de aquis, quas firmamentum diuidit, variæ admodum Doctorum sententia. Et generatim quidem loquendo, tres. Prima utrumque solum mystice explicat; aquas quidem superiores de Angelis beatissimis; aquas autem inferiores de malis Angelis, ē cœlis in hunc turbulentum aërem deturbatis. Ita Origenes apud Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanū, & apud Hieronymum in

epistola

2